BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
68
8 B
5

5-10-8-16-

9-4-5-16

II B 109 f 2

C. SALLVSTII. CRISPI
CONIVRATIO. CATILINAE
ET. BELLVM. IVGVRTHINVM
FRAGMENTA

eiusdem historiarum, e scriptorib. antiquis ab Aldo Manutio, Paulli F. collecta.

SCHOLIA. ALDI. MANVTII

Index, rerum & verbor. memorabilium.

ALDVS. MANVTIVS. PAVLLI. F. A. N

VENETIIS, ∞. D. LXVII

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

INDEX . EORVM . QVAE IN . HOC . LIBRO CONTINENTVR

C . Salluſtij Criſpi Catilina, 1.
Eiuſdem Iugurtha, 29.
Eiuſdem oratio M. Aemili Lepidi cos. 83:
Eiuſdem oratio Philippi, 86.
Eiuſdem oratio C. Cottae cos. 88:
Eiuſdem oratio C. Macri trib. pl. 90.
Eiuſdem epiſtola Cn. Pompeij, 92:
Eiuſdem epiſtola regis Mithridatis, 93:
Ad C. Caeſarem, de rep. ordinanda, I. 95:
Adeundem, II. 99:
Porcij Latronis declamatio, in L. Catilinam, 107.
C. Salluſtij Criſpi in M. Tullium Ciceronem oratio, 122:
In Salluſtium oratio, Ciceroni falſo attributa, 124:
Fragmenta librorum nouem hiſtoriarum Salluſtij, ab Aldo Manutio, Paulli F. collecta, 129.
Scholia Aldi Manutij, 166.
Variae lectiones.
Index rerum, & uerborum.

COLLEGIO. ROMANO
SOCIETATIS . IESV

ALDVS . MANVTIVS
PAVLLI . F

BIBLIOTECA ROMA

ATEBOR, quod res est. contuli me ad
F Vrbem superiore anno, uocatus a patre, libentissime. cupiebam scilicet ea praesens intueri, quae saepe legeram, & in iisdem locis uestigium imprimere, ubi sedes clarorum uirorum, ac domicilia, fuisse cognoueram. ac me quidem hic permulta delectarunt ex ueterib. monumentis, quae uel excellentium artificum ingenia, uel mores, aut eruditionem, superior. tempor. declarant: sed neq. marmorcum ullum, aeneum ue simulacrum, neq. septem collium adspectus, neq. augusta illa Capitolii facies tantam animo meo iucunditatem, admirationem ue, attulit, quantam Collegii uestri dignitas, & ordo: in quo nihil ad inenem uoluptatem, aut ad breuem usum, omnia uidi ad aeternum solidae gloriae fructum, ad certam animorum salutem, instituta. itaq. con cursus ad uos quotidie maiores fiunt. nec dubitandum uidetur; cum uobis in ista tam nobili disciplina non honor, aut quaestus, quarum rerum spe multorum excitari solet industria, sed diuina tantum praemia, proposita sint; quin haec ante paucos annos a summo uiro, Ignatio

Loyola, inducta bene merendi consuetudo & perpetua futura sit, & uberiores non in hac modo ciuitate, uerum in uniuerso terrarum orbe, fructus ferat. quae est enim ciuitas, quae gens, quae natio, sanctissimis Christi legib. addicta, quae non probet maxime uestrum institutum, quae uos non recipiat, atq. adeo non accersat, ad erudiendam iuuentutem, ad mores conformandos, ad religionem propagandam? equidem uel hoc unum, cum innumerabilia sint, diuinae erga nos benignitatis, atq. clementiae, maximum statuo esse documentum, quod inter haec temporum uitia, quib. iam paene omnia periere, tantum bonum, tam praeter omnium opinionem, tam celeriter disseminauit, ut etiam gentes, nostra demum, patrumq. nostrorum memoria cognitae, longissimo a nobis pelagi, terraeq. interuallo disiunctae, a uestris doctorib. ab exitioso idolorum cultu ad salutarem ueri Dei uenerationem traducantur, omnemq. litterarum, ac morum, elegantiam, quam antea penitus ignorarunt, a uobis potissimum acceptam diligenter colant. Quae cum ipse mecum cogito; & cum haec intueor, quae in urbe Roma sedulo quisq. uestrum, interpretandis optimis libris, exceptis dumtaxat, qui ad ius ciuile, aut ad medendi rationem pertinent, cohortando, monendo, uigilando, pro communi emolumento praestat: deberi uobis iudico a bonis uiris omnia, nec ullam esse tantam laudem,

dem, quae, cum uestris collata meritis, non longe inferior esse uideatur. Sed hoc nostrum est, ut id, quod debemus; si persoluere non licet, animo saltem, ac mente, peruoluamus: uestra quidem & sapientia singularis, & ad optimam Christi normam directa modestia, quidquid ab hominib. dari potest, id plane totum excludit. Ego tamen, studio uestri, & inductione quadam animi, patre etiam cohortante, qui uestra instituta ad caelum ferre solitus est, feci, ut Sallustium, & meos in eo corrigendo labores uobis dicarem. nam, cum eius historiam assidue in manib. habeatis, magnaq. auditorum frequentia explanetis: commendabit, opinor, me uobis studium meum; &, ut spero, consequar id, quod uehementer opto, ut patris mei, meamq. simul, incolumitatem, ac salutem, piis precibus, agentes cum Deo suppliciter, curetis. Romae, ∞. D. LXIII. Kal. Oct.

ALDVS. MANVTIVS
PAVLLI. F
STVDIOSIS

COLLEGI pro ueſtra utilitate, cui ſemper ſtuduit familia noſtra, ueterum ſcriptorum teſtimonia, quae ad ingenium, mores, uitamq. Salluſtij pertinent: nam Petrus Crinitus ea, quae ſcripſit, teſtib. non probat. nos igitur & ab illo ſcripta pleraq. confirmamus, & multa, quae omiſit, adiungimus; labori numquam parcentes, ut commodis ueſtris conſulatur. Quam conſuetudinem, ab auo, & patre acceptam, intermitti, quantum in me erit, minime patiar.

∞ DLXIII. pridie Kal. Dec.

VETERVM SCRIPTORVM DE SALLVSTIO TESTIMONIA

ab Aldo Manutio Paulli F. collecta

EX VELLEIO PATERCVLO

AEMVLVS Thucydidis Salluſtius: Hiſt. lib. 2
Et paullo poſt: *Paene ſtulta eſt inhaerentium oculis ingenior. enumeratio: inter quae maxime noſtri aeui eminent, princeps carminum* Virgilius, Rabiriusque, *& conſecutus* Salluſtium Liuius, Tibullusque, *&* Naſo, *perfectiſſimi in forma operis ſui. nam*, uiuor. *ut magna admiratio, ita cenſura difficilis eſt.*

EX QVINCTILIANO

Liuius, *a pueris magis legendus, quam* Salluſtius: & hic *hiſtoriae maioris eſt auctor: ad quem tamen intelligendum, iam profectu opus ſit.* Lib. 2. c. 5.

Criſpus Salluſtius in bello Iugurthino, & Catilinario, *nihil ad hiſtoriam pertinentib. principijs orſus eſt.* Lib. 3. c. 10.

Vitanda illa Salluſtiana *(quamquam in ipſo uir tutis locum obtinet)* breuitas, *& abruptum ſermonis genus: quod otioſum fortaſſe lectorem minus fallit, audientem tranſuolat, nec, dum repetatur, exſpectat.* Lib. 4. c. 2.

Lib. 8. c. 3. *Nec minus noto* Salluſtius *epigrammate inceſſitur :*

Et verba antiqui multum furate Catonis,
Criſpe, Iugurthinae conditor hiſtoriae.

Lib. 9. c. 3. *Ex Graeco translata* Salluſtij *plurima: quale eſt, Vulgus amat fieri.*

Lib. 10. c. 1. *Neq. illa* Salluſtiana breuitas, *qua nihil apud aures vacuas, atq. eruditas poteſt eſſe perfectius, apud occupatum uarijs cogitationib. iudicem, & ſaepius ineruditum, captanda nobis eſt : neq. illa Liuij lactea ubertas ſatis docebit eum, qui non ſpeciem expoſitionis, ſed fidem, quaerit.*

Ibidem. *At non hiſtoria ceſſerit* Graecis : *nec opponere* Thucydidi Salluſtium *verear : nec indignetur ſibi* Herodotus *aequari* T. Liuium, *cum in narrando mirae iucunditatis, clariſſimiq. candoris, tum in concionibus, ſupra quam narrari poteſt eloquentem : ita dicuntur omnia cum rebus, tum perſonis, accommodata : ſed affectus quidem, praecipue eos, qui ſunt dulciores, ut parciſſime dicam, nemo hiſtoricorum commendauit magis. ideoq. immortalem illam* Salluſtij uelocitatem, *diuerſis virtutibus, conſecutus eſt. nam mihi egregie dixiſſe uidetur* Seruilius Nonianus, *pares eos magis, quam ſimiles : qui & ipſe a nobis auditus eſt, clari vir ingenij, & ſententijs creber, ſed minus preſſus, quam hiſtoriae auctoritas poſtulat.*

Attici *praeciſis, concluſionib. obſcuri*, Salluſtium, *atq.* Thucydidem *ſuperant ; triſtes, ac ieiuni*, Pollionem *aemulantur ; otioſi, & ſupini, ſi*

quid

quid modo longius circumduxerunt, iurant, Ciceronem, *ita locuturum fuisse.* Lib. 10. cap. 3.

Sic scripsisse Sallustium *accepimus. & sane manifestus est etiam ex opere ipso labor.*

EX. CORNELIO. TACITO

Histib. li. 3.

C. Sallustius, *rerum Romanarum florentissimus auctor.*

EX. SVETONIO

TVQ. *dubitas,* Cimber ne Annius, *an* Verrius Flaccus, *imitandi sint tibi? ita, ut uerbis, quae* Crispus Sallustius *excerpsit ex* Originib. Catonis, *vtaris? an potius,* Asiaticorum oratorum *inanib. sententijs, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?* In Augusti uita.

EX. EODEM

In libro de claris gra. c. 9. de Ateio Philologo.

Asinius Pollio librum scripsit, in quo Sallustij scripta reprehendit, *ut nimia priscor. verbor. affectatione oblita.*

Coluit familiarissime C. Sallustium, *&, eo defuncto,* Asinium Pollionem: *quos, historiam componere aggressos, alterum breuiario rer. omnium Romanarum, ex quibus, quas uellet, eligeret, instruxit; alterum praeceptis de ratione dicendi. quo magis miror,* Asinium Pollionem *credidisse, antiqua eum uerba, & figuras, solitum esse colligere* Ibidem.

Sallu-

Salluſtio: *cum ſibi ſciat nil aliud ſuadere, quam ut noto, ciuilique, & proprio, ſermone utatur, uitetq. maxime* obſcuritatem Salluſtij, & audaciam in translationibus.

Cap. 14. de Lenaeo. *Tanto amore erga patroni memoriam exſtitit, ut* Salluſtium hiſtoricum, *quod eum oris improbi, animo inuerecundo, ſcripſiſſet,* acerbiſsima ſatyra *lacerauerit, Laſtaurum, & Lurconem, & Nebulonem, Popinonemq. appellans, & uita, ſcriptisq. monſtroſum, praeterea priſcorum,* Catonisq. *uerborum ineruditiſſimum furem.*

EX. IVSTINO

Hiſt. l. 38. Pompeius Trogus, in Liuio, & Salluſtio, *reprehendit, quod, conciones directas, ac orationes, operi ſuo inſerendo, Hiſtoriae modum exceſſerint.*

EX. SENECA

Decl. lib. 3. Orationes Salluſtij *in honorem Hiſtoriarum leguntur.*

Ep. li. 20. ep. 115. Salluſtio uigente, *amputatae ſententiae, & uerba ante exſpectatum cadentia, & obſcura breuitas fuere pro cultu.* Arruntius, *uir rarae frugalitatis,* qui hiſtorias belli Punici ſcripſit, *fuit* Salluſtianus, *& in illud genus nitens.*

Ibidem. *Quae* apud Salluſtium *rara fuerunt,* apud hunc *crebra ſunt, & paene continua. nec ſine cauſſa.* ille *enim in haec incidebat: at* hic *illa quaerebat.*

Cum

Cum sit praecipua in Thucydide *uirtus breuitatis, hac eum* Salluſtius *uicit, & in ſuis illum caſtris cecidit.* Contr. li. 5. cont. 25.

T. Liuius *tam iniquus* Salluſtio *fuit, ut hanc ipſam ſententiam & tamquam translatam, & tam quam corruptam, dum transfertur, obiiceret* Salluſtio. *nec hoc amore* Thucydidis *facit, ut illum praeferat. laudat, quem non timet; & facilius putat, poſſe a ſe* Salluſtium *uinci, ſi antè a* Thucydide *uincatur.* Ibidem.

EX. GELLIO

Salluſtius, *nouator uerborum.* Lib. 1. c. 15.

Salluſtius, *uel ſubtiliſſimus breuitatis artifex.* Lib. 3. c. 1.

Elegantia orationis Salluſtij, *uerborumq. facundia, & nouandi ſtudium, cum multa prorſus inuidia fuit:* multiq. non mediocri ingenio uiri *conati ſunt reprehendere pleraque, & obtrectare: in quibus plura inſcite, aut maligne, uellicant. nonnulla tamen uideri poſſunt non indigna reprehenſione: quale illud, &c.* Lib. 4. c. 15.

Salluſtius, *proprietatum in uerbis retinentiſſimus, conſuetudini conceſſit.* Lib. 10. c. 20.

Aſinio Pollioni, in quadam epiſtola, quam ad Plancum ſcripſit, & quibuſdam alijs, C. Salluſtius *inique dignus nota uiſus eſt.* Lib. 10. c. 26.

Et paullo poſt: *Minus proprie, &* a nullo graui auctore *dictum.*

M. Varro, in litteris, atq. uita, fide homo multa, Lib. 19. cap. 18.

[x] graui) multa, & [x] grauis, in libro, quem inscripsit Pius, aut de Pace, C. Sallustium, scriptorem

[x] al. in cuius not. &c. in qua not.) seriae illius, & seuerae orationis, [x] in cuius historia *notiones censorias fieri, atq. exerceri uidemus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone, loris bene caesum, dicit; &, cum dedisset pecuniam dimissum.*

EX. HORATIO

Ser. lib. 1. sat. 2. *Libertinarum dico:* Sallustius *in quas*
Non minus insanit, quam qui moechatur.

EX. MACROBIO

lib. 3. c. 15. Sallustius, *grauissimus alienae luxuriae obiurgator, & censor.*

Lib. 5. c. 1. *Quattuor sunt genera dicendi; copiosum, in quo* Cicero *dominatur; breue, in quo* Sallustius *regnat; siccum, quod* Frontoni *adscribitur; pingue, & floridum, in quo* Plinius Secundus *quondam, & nunc, nullo ueterum minor,* noster Symmachus *luxuriatur.*

EX. VIBIO. SEQVESTRE

In lib. de Flum. Sallustius, *auctor certissimus.*

EX. ISIDORO

Lib. 13. ca. 21. Sallustius, *auctor certissimus.*

EX

EX. AELIO. SPARTIANO

Amauit genus dicendi uetustum, controuersias declamauit: Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Coelium *praetulit: eademq. iactatione, de* Homero, *ac* Platone, *iudicauit.* In uita D. Hadriani.

EX. FLAVIO. VOPISCO

Nemo scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid est mentitus. in quo Liuius, *in quo* Sallustius, *in quo* Cornelius Tacitus, *in quo deniq.* Trogus *manifestis errorib. conuincerentur.* in uita D. Aureliani.

Sallustius, Liuius, Tacitus, Trogus, *disertissimi uiri.* in uita Probi.

EX. APPVLEIO

Neq. Cato *grauitatem requirit, neq.* Laelius *lenitatem, neq.* Gracchus *impetum, nec* Caesar *calorem, nec* Hortensius *distributionem, nec* Caluus *argutias, nec parcimoniam* Sallustius, *nec opulentiam* Cicero. Apol. 2.

EX. SIDONIO. APOLLINARE

Et te, qui breuitate, Crispe, *polles.* in Panegyr. 468.

EX. LACTANTIO. FIRMIANO

Sallustius, *homo eruditus.* de falsa reg. lib. 1. c. il 21.

Sallu-

= orig. er-
ris, lib. 2.
x 3.

Salluſtius, *homo nequam, ait: Sed omnis noſtra uis in animo, & corpore, ſita eſt: animi imperio, corporis ſeruitio, magis utimur. Recte, ſi ita uixiſſet, ut locutus eſt. ſeruiuit enim foediſſimis uoluptatibus, ſuamq. ipſe ſententiam uitae prauitate diſſoluit.*

EX. D. HIERONYMO

ib. 1. aduer
ſus Iouinia
num.

Cicero, *rogatus ab Hirtio, ut, poſt repudium Terentiae, ſororem eius duceret: omnino facere ſuperſedit; dicens non poſſe ſe uxori, & philoſophiae, pariter operam dare. illa interim coniux egregia, & quae de fontib. Tullianis hauſerat ſapientiam, nupſit* Salluſtio, *inimico eius; & tertio,* Meſſallae Coruino: *& quaſi per quoſdam gradus eloquentiae deuoluta eſt.*

EX. PETRO. BLESENSE

ep. LXXIX.
*ſororem.)

Legimus, quod, cum Cicero *rogaretur, ut, poſt repudium Terentiae, *uxorem Hirtij duceret, prorſus omne matrimonium renuit; dicens, ſe philoſophiae, & uxori, uacare non poſſe.*

EX. EODEM. HIERONYMO, in Epitaphio Nepotiani, ad Heliodorum.

Non, mihi ſi linguae centum ſint, oraq. centum,
Ferrea uox,

Omnia

Omnia poenar. percurrere nomina possim. neq. enim historiam proposui scribere, sed nostras breuiter flere miserias. alioquin ad haec merito explicanda & Thucydides, *&* Sallustius, *muti sint.*

EX. D. AVGVSTINO

Sallustius, *nobilitatae ueritatis historicus.* De Ciuit. Dei, lib. 1. c. 5.
Nobilissimus historicus. ep. 5. ad Marcellinum.

EX. MARTIALE

Hic erit, ut perhibent doctor. corda uirorum, Lib. 14.
Crispus, *Romana primus in historia.*

EX. STATIO

Sed tuas artes puer ante discat: Sil. lib. 4.
Omne quas mundi senium remensus,
Orsa Sallusti breuis, *&* Timaui,
Reddis alumnum.

De Sallustio, Dio lib. XLIII.

C. SALLVSTII. CRISPI DE . CONIVRATIONE L. SERGII. CATILINAE

BIBLIOTECA NAZ. R. VITTORIO EMANUELE ROMA

OMNES homines, qui sese studeant praestare ceteris animantibus, summa ope niti decet, ne uitam silentio transeant, ueluti pecora; quae Natura prona, atque uentri obedientia finxit. sed nostra omnis uis in animo, & corpore sita est. animi imperio, corporis seruitio magis utimur. alterum nobis cum dijs, alterum cum belluis commune est. quo mihi rectius esse uidetur, ingenij, quam uirium, opibus gloriam quaerere, &, quoniam uita ipsa, qua fruimur, breuis est, memoriam nostri quammaxime longam efficere. nam diuitiarum, & formae gloria fluxa, atq. fragilis est; uirtus clara, aeternaq. habetur. Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, ui ne corporis, an uirtute animi, res magis militaris procederet. nam & prius, quam incipias, consulto, &, ubi consulueris, mature facto opus est. ita utrumq. per se indigens, alterum alterius auxilio eget. igitur initio reges, (nam in terris nomen imperij id primum fuit) diuersi, pars ingenium, alij corpus exercebant. etiam tum uita hominum sine cupiditate agitabatur: sua cuiq. satis placebant: postea uero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonij, & Athenienses

coepere urbes, atq. nationes subigere; libidinem dominandi, causſam belli habere; maximam gloriam in maximo imperio putare: tum demum periculo atq. negotijs compertum est, in bello plurimum ingenium posse. quod si regum, atq. imperatorum animi uirtus in pace ita, ut in bello, ualeret: aequalius, atq. constantius sese res humanae haberent; neq. aliud alio ferri, neq. mutari, ac miscerí omnia cerneres. nam imperium facile ijs artib. retinetur, quib. initio partum est. uerum, ubi pro labore desidia, pro continentia, & aequitate libido, atq. superbia inuasere; fortuna simul cum morib. immutatur. ita imperium semper ad optimum quemq. a minus bono transfertur. quae homines arant, nauigant, aedificant, uirtuti omnia parent. sed multi mortales, dediti uentri, atq. somno, indocti, incultique, uitam sicuti peregrinantes transiere. quib. profecto contra naturam corpus uoluptati, anima oneri fuit. eorum ego uitam mortemq. iuxta aestimo: quoniam de utraq. siletur. uerum enimuero is mihi uiuere demum, atq. frui anima uidetur, qui aliquo negotio intentus, praeclari facinoris, aut artis bonae famam quaerit. sed in magna copia rerum, aliud alij natura iter ostendit. pulchrum est, bene facere reip. etiam bene dicere, haud absurdum est. uel pace, uel bello clarum fieri licet. & qui fecere, & qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haud-

quaquam

quaquam par gloria sequatur scriptorem, & actorem rerum; tamen in primis arduum uidetur, res gestas scribere; primum, quod facta dictis sunt exaequanda: dehinc, quia plerique, quae delicta reprehenderis, maleuolentia, & inuidia dicta putant: ubi de magna uirtute, atq. gloria bonorum memores; quae sibi quisq. facilia factu putat, aequo animo accipit; supra ea, uel uti ficta pro falsis ducit. Sed ego adolescentulus initio, sicuti plerique, a studio ad remp. latus sum: ibiq. mihi multa aduersa fuere. nam pro pudore, pro abstinentia, pro uirtute, audacia, largitio, auaritia uigebant. quae tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium: tamen inter tanta uitia imbecilla aetas, ambitione corrupta, tenebatur. Ac me, cum ab reliquis malis morib. dissentirem; nihilo minus honoris cupido eadem, quae ceteros, fama, atq. inuidia uexabat. igitur, ubi animus ex multis miserijs, atq. periculis requieuit, & mihi reliquam aetatem a rep. procul habendam decreui; non fuit consilium, socordia, atq. desidia bonum otium conterere: neq. uero, agrum colendo, aut uenando, seruilib. officiis intentum aetatem agere; sed, a quo incepto, studioq. me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi R. carptim, ut quaeq. memoria digna uidebantur, perscribere; eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus reip. animus liber erat. Igitur de Catilinae coniuration-

quam ueriſsime potero, paucis abſoluam. nam id facinus in primis ego memorabile exiſtimo, ſceleris, atq. periculi nouitate. de cuius hominis morib. pauca prius explananda ſunt, quam initium narrandi faciam. L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna ui & animi, & corporis, ſed ingenio malo, prauoque. huic ab adoleſcentia bella inteſtina, caedes, rapinae, diſcordia ciuilis grata fuere: ibiq. iuuentutem ſuam exercuit. corpus patiens inediae, algoris, uigiliae, ſupra quam cuiquam credibile eſt. animus audax, ſubdolus, uarius, cuiuslibet rei ſimulator, ac diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus. ſatis loquentiae, ſapientiae parum. uaſtus animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat. hunc, poſt dominationem L. Sullae, libido maxima inuaſerat reip. capiundae: neque, id quib. modis aſſequeretur, dum ſibi regnum pararet, quidquam penſi habebat: agitabatur magis magisq. in dies animus ferox inopia rei familiaris, & conſcientia ſcelerum: quae utraq. his artib. auxerat, quas ſupra memoraui. incitabant praeterea corrupti ciuitatis mores: quos peſsima, ac diuerſa inter ſe mala, luxuria, atq. auaritia, uexabant. Res ipſa hortari uidetur, quoniam de moribus ciuitatis tempus admonuit, ſupra repetere, ac paucis inſtituta maiorum domi, militiaeque, quo modo remp. habuerint, quantamq. reliquerint, utque, paullatim immutata, ex pulcherrima,

cherrima,& optima, pesſima, ac flagitioſisſima, facta ſit,diſſerere. Vrbem Romam, ſicuti ergo accepi, condidere, atq. habuere initio Troiani; qui, Aenea duce profugi, incertis ſedib. uagabantur; cumq. his Aborigines, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum, atq. ſolutum. hi, poſtquam in una moenia conuenere, diſpari genere, diſsimili lingua, alius alio more uiuentes,incredibile memoratu eſt,quam facile coaluerint.ſed, poſtquam res eorum ciuibus, moribus, agris aucta, ſatis proſpera, ſatisq. pollens uidebatur; ſicuti pleraq. mortalium habentur, inuidia ex opulentia orta eſt.igitur reges, populiq. finitimi bello tentare: pauci ex amicis auxilio eſſe. nam ceteri, metu perculſi,a periculis aberant. at Romani, domi, militiaeq. intenti,feſtinare, parare; alius alium hortari; hoſtib. obuiam ire; libertatem, patriam,parentesq. armis protegere. poſt,ubi pericula uirtute populerant, ſociis, atq. amicis auxilia portabant; magisq. dandis, quàm accipiendis beneficiis amicitias parabant: imperium legitimum,nomen imperii regium habebant: delecti, quib. corpus annis infirmum, ingenium ſapientia ualidum erat,reip.conſultabant. hi, uel aetate, uel curae ſimilitudine, Patres appellabantur. poſt, ubi regium imperium, quod initio conſeruandae libertatis, atq. augendae reip. fuerat, in ſuperbiam, dominationemq. conuertit; immutato more, annua

imperia,binos imperatores sibi fecere.eo modo minime posse putabant: per licentiam insolescere animum humanum. Sed ea tempestate coepere se quisq. magis extollere, magisq. ingenium in promptu habere.nam regib. boni,quam mali,suspectiores sunt: semperq. his aliena uirtus formidolosa est.Sed ciuitas,incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum breui creuerit.tanta cupido gloriae incesserat.Iamprimum iuuentus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat: magisq. in decoris armis,& militarib. equis,quam in scortis,atq.conuiuijs, libidinem habebant.igitur talib. uiris non labor insolitus,non locus ullus asper,aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: uirtus omnia domuerat. sed gloriae maximum certamen inter ipsos erat.sic se quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat.eas diuitias,eam bonam famam, magnamq. nobilitatem putabant. laudis auidi, pecuniae liberales erant: gloriam ingentem, diuitias honestas uolebant. Memorare possem, quib. in locis maximas hostium copias populus R. parua manu fuderit; quas urbes natura munitas pugnando ceperit;ni ea res longius nos ab incepto traheret. sed profecto Fortuna in omni re dominatur. ea res cunctas ex libidine magis, quam ex uero,celebrat,obscuratque.Atheniensium res gestae, sicuti ego existimo, satis amplac,

plae, magnificaeq. fuere; uerum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur: sed, quia prouenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur. ita eorum, qui ea fecere, uirtus tanta habetur, quantum uerbis ea potuere extollere praeclara ingenia. at populo R. numquam ea copia fuit: quia prudentisſimus quiſque negotioſus maxime erat. ingenium nemo ſine corpore exercebat. optimus quiſq. facere, quam dicere, ſua ab aliis bene facta laudari, quam ipſe aliorum narrare, malebat. igitur domi, militiaeq. boni mores colebantur. concordia maxima, minima auaritia erat. ius bonumq. apud eos non legib. magis, quam natura, ualebat. iurgia, diſcordias, iras, ſimultates cum hoſtib. exercebant: ciues cum ciuib. de uirtute certabant. in ſupplicijs deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. duab. his artibus, audacia in bello; ubi pax euenerat, aequitate, ſeque, remq. publicam curabant. Quarum rerum maxima documenta haec habeo; quod in bello ſaepius uindicatum eſt in eos, qui contra imperium in hoſtem pugnauerant, quiq. tardius reuocati proelio exceſſerant, quam qui ſigna relinquere, aut pulſi loco cedere auſi erant; in pace uero, quod beneficijs magis, quam metu, imperium agitabant, &, accepta iniuria, ignoſcere, quam perſequi, malebant. Sed, ubi labore, atq. iuſtitia reſp. creuit; reges

magni bello domiti; nationes ferae, & populi ingentes ui subacti; Carthago, aemula imperii Romani, ab stirpe interijt; cuncta maria, terraeq. patebant: saeuire fortuna, ac miscere omnia coepit. qui labores, pericula, dubias, atq. asperas res facile tolerauerant, ijs otium, diuitiae, optandae alijs, oneri miseriaeq. fuere. igitur primo pecuniae, deinde imperij cupido creuit. ea quasi materies omnium malorum fuere. namq. auaritia fidem, probitatem, ceterasq. artes bonas subuertit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia uenalia habere, edocuit: ambitio multos mortales falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere; amicitias, inimicitiasq. non ex re, sed ex commodo, aestimare; magisq. uultum, quam ingenium, bonum habere. haec primo paullatim crescere, interdum uindicari. post, ubi contagio, quasi pestilentia, inuasit; ciuitas immutata; imperium, ex iustissimo, atq. optimo, crudele, intolerandumq. factum. Sed primo magis ambitio, quam auaritia, animos hominum exercebat: quod tamen uitium propius uirtuti erat. nam gloriam, honorem, imperium bonus, & ignauus aeq. sibi exoptant. sed ille uera nititur uia: huic quia bonae artes desunt, dolis, atq. fallaciis contendit. auaritia pecuniae studium habet: quam nemo sapiens concupiuit. ea, quasi uenenis malis imbuta, corpus, animumq. uirilem effeminat; semper infinita,

infinita, insatiabilis est; neq. copia, neq. inopia minuitur. Sed, postquam L. Sulla, armis recepta rep. bonis initijs malos euentus habuit; rapere omnes, trahere; domum alius, alius agros cupere; neq. modum, neq. modestiam uictores habere; foeda, crudeliaq. in ciues facinora facere. huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductauerat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum, luxuriose, nimisq. liberaliter, habuerat. loca amoena, uoluptaria facile in otio feroces militum animos molliuerant. ibi primum insueuit exercitus populi R. amare, potare, signa, tabulas pictas, uasa caelata mirari, ea priuatim, ac publice rapere, delubra spoliare, sacra, profanaq. omnia polluere. Igitur hi milites, postquam uictoriam adepti sunt, nihil reliqui uictis fecere. quippe secundae res sapientium animos fatigant: ne illi, corruptis moribus, uictoriae temperarent. postquam diuitiae honori esse coeperunt, & eas gloria, imperium, potentia sequebatur: hebescere uirtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malcuolentia duci coepit. igitur ex diuitijs iuuentutem luxuria, atq. auaritia cum superbia inuasere. rapere, consumere; sua parui pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, diuina atq. humana promiscua; nil pensi, neq. moderati habere. Operaepretium est, cum domos, atq. uillas cognoueris, in urbium modum aedificatas, uisere templa deorum, quae nostri maiores, reli-

religiosissimi mortales, fecere. uerum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant; neq. uictis quidquam, praeter iniuriae licentiam, eripiebant. at hi contra, ignauissimi homines, per summum scelus omnia ea socijs adimere, quae fortissimi uiri uictores reliquerunt: proinde quasi, iniuriam facere, id demum esset imperio uti. nam quid ea memorem, quae, nisi iis, qui uidere, nemini credibilia sunt; a priuatis complurib. subuersos montes, maria constructa esse? quib. mihi ludibrio uidentur fuisse diuitiae. quippe, quas honeste haberelicebat, per turpitudinem abuti properabant. Sed libido stupri, ganeae, ceteriq. cultus non minor incesserat. uiri pati muliebria: mulieres pudicitiam in propatulo habere: uescendi caussa, terra, mariq. omnia exquirere: dormire prius, quam somni cupido esset: non famem, non sitim, neq. frigus, neq. lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu ante capere. haec iuuentutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. animus, imbutus malis artibus, haud facile libidinib. carebat: eo profusius omnib. modis quaestui, atq. sumptui deditus erat. In tanta, tamq. corrupta ciuitate, Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum, atq. facinorum circum se, tamquam stipatorum, cateruas habebat. nam, quicumq. impudicus, adulter, ganeo, manu, uentre, pene bona patria dissipauerat; quiq. alienum aes grande conflauerat,

rat, quo flagitium, aut facinus redimeret; praeterea, omnes undiq. parricidae, sacrilegi, conuicti iudicijs, aut pro factis iudicium timentes; ad hoc, quos manus, atq. lingua periurio, aut ciuili sanguine alebat; postremo, omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinae proximi, familiaresq. erant. quod si quis etiam a culpa uacuus in amicitiam eius inciderat; quotidiano usu, atq. illecebris, facile par, similisq. ceteris efficiebatur. sed maxime adolescentium familiaritates appetebat. eorum animi molles, & aetate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. nam, ut cuiusq. studium ex aetate flagrabat; alijs scorta praebere; alijs canes, atq. equos mercari; postremo neq. sumptui, neq. modestiae suae parcere, dum illos obnoxios, fidosq. sibi faceret. Scio fuisse non nullos, qui ita existimarent; iuuentutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse. sed ex alijs reb. magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama ualebat. Iamprimum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat cum uirgine nobili, cum sacerdote Vestae, & alia huiuscemodi contra ius, fasque. postremo, captus amore Aureliae Orestillae, cuius praeter formam nihil umquam bonus laudauit; quod ea nubere illi dubitabat, timens priuignum adultum aetate; pro certo creditur, necato filio, uacuam domum scelestis nuptijs fecisse. quae quidem res

mihi

mihi in primis uidetur cauſſa fuiſſe facinoris maturandi. namq. animus impurus, dijs, hominibusq. infeſtus, neq. uigilijs, neq. quietib. ſeda ri poterat: ita conſcientia mentem excitam uaſtabat. igitur color eius exſanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus inceſſus: prorſus in facie, uultuq. uaecordia inerat. Sed iuuentutem, quam, ut ſupra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. ex illis teſtes, ſignatores falſos commodare; fidem, fortunas, pericula uilia habere. poſt, ubi eorum famam, atq. pudorem attriuerat, maiora alia imperabat. ſi cauſſa peccandi in praeſens minus ſuppetebat, nihilo minus inſontes, ſicuti ſontes, circumuenire, iugulare. ſcilicet, ne per otium torpeſcerent manus, aut animus, gratuito potius malus, atq. crudelis erat. His amicis, ſocijsq. confiſus Catilina; ſimul quod aes alienum per omnes terras ingens erat; & quod pleriq. Sullani milites, largius ſuo uſi, rapinarum & uictoriae ueteris memores, ciuile bellum exoptabant; opprimendae reip. conſilium cepit. in Italia nullus exercitus: Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat: ipſi conſulatum petendi magna ſpes: ſenatus nihil ſane intentus; tutae, tranquillaeq. res omnes. ſed ea prorſus opportuna Catilinae erant. igitur circiter kal. Iun. L. Caeſare, & C. Figulo cos. primo ſingulos appellare; hortari alios; alios tentare; opes ſuas, imparatam remp. magna praemia coniurationis docere.

docere. ubi satis explorata sunt, quae uoluit; in unum omnes conuócat, quib. maxima necesitudo,& plurimum audaciae inerat. eo conuenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. & Ser. Sullae, Seruii filii; L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius; praeterea, ex equestri ordine, M. Fuluius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius; ad hoc, multi ex colonijs, & municipijs, domi nobiles. erant praeterea complures paullo occultius consilij huiusce participes nobiles: quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia, aut alia necesitudo. ceterum iuuentus pleraque, sed maxime nobilium, Catilinae inceptis fauebat. quib. in otio uel magnifice, uel molliter uiuere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum eius consilii fuisse: quia Cn. Pompeius, inuisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cuiusuis opes uoluisse contra illius potentiam crescere: simul confisum, si coniuratio ualuisset, facile apud eos se principem fore. Sed antea item coniurauere pauci contra remp. in quib. Catilina fuit. de qua, quam uerissime potero, dicam. L. Tullo, Man. Lepido cos. P. Autronius, & P. Sulla, designati consules, legib. ambitus interrogati, poenas dederant. post paullo Catilina, pecuniarum repetundarum

reus

reus, prohibitus erat petere consulatum; quod intra legitimos dies profiteri nequiuerit. Erat eo dem tempore Cn. Piso, adolescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus; quem ad perturbandam remp. inopia, atq. mali mores stimulabant. cum hoc Catilina, & Autronius, circiter nonas Dec. consilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Ian. L. Torquatum, & L. Cottam cos. interficere; ipsi, fascib. correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispaniasmittere. Ea re cognita, rursus in nonas Febr. consilium caedis transtulerunt. iam tum non consulib. modo, sed pleriscq. senatorib. perniciem machinabantur. quod ni Catilina maturasset pro curia signum socijs dare: eo die, post conditam urbem Romam, pessimum facinus patratum foret. quia nondum frequentes armati conuenerant; ea res consilium diremit. Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est, adnitente Crasso; quod eum infestum inimicum Cn. Pompeio cognouerat. neque tamen senatus prouinciam inuitus dederat. quippe foedum hominem a rep. procul esse uolebat: simul, quia boni complures praesidium in eo putabant; & iam tum potentia Cn. Pompeij formidolosa erat. sed is Piso, in prouinciam iter faciens, ab equitib. Hispanis, quos in exercitu ductabat, occisus est. Sunt qui ita dicunt, imperia eius iniusta, superba, crudelia barbaros nequiuisse pati: alii autem, equites illos,

illos, Cn. Pompeij ueteres, fidosq. clientes, uoluntate eius Pisonem aggressos: numquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia saeua multo antea perpessos. nos eam rem in medio relinquemus. De superiori coniuratione satis est dictum. Catilina, ubi eos, quos paullo ante memoraui, conuenisse uidet; tametsi cum singulis multa saepe egerat; tamen, in rem fore credens uniuersos appellare, & cohortari, in abditam partem aedium secedit; atq. ibi, omnib. arbitris procul amotis, orationem huiuscemodi habuit, Ni uirtus, fidesq. uestra satis spectata mihi foret: nequidquam opportuna res cecidisset: spes magna, dominatio in manib. frustra fuissent; neq. ego, per ignauiam, aut uana ingenia, incerta pro certis captarem. sed, quia multis, & magnis tempestatibus uos cognoui fortes, fidosq. mihi; eo animus ausus est maximum, atq. pulcherrimum facinus incipere; simul, quia uobis eadem, quae mihi, bona, malaq. esse intellexi. nam, idem uelle, atq. idem nolle, ea demum firma amicitia est. Sed ego, quae mente agitaui, omnes iam antea diuersi audistis. ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum considero, quae condicio uitae futura sit, nisi nosmet ipsos uindicamus in libertatem. nam, postquam resp. in paucorum potentium ius, atq. ditionem concessit, semper illis reges, tetrarchae uectigales esse: populi, nationes, stipendia pendere: ceteri omnes,

strenui,

ſtrenui,boni,nobiles,atq. ignobiles,uulgus fuimus,ſine gratia,ſine auctoritate,ijs obnoxij,quibus, ſi reſp. ualeret, formidini eſſemus. itaq. omnis gratia, potentia,honos,diuitiae apud illos ſunt,aut ubi illi uolunt: nobis reliquerunt pericula,repulſas, iudicia,egeſtatem. quae quouſq. tandem patiemini o fortiſsimi uiri?nonne emori per uirtutem praeſtat, quam uitam miſeram, atq. inhoneſtam,ubi alienae ſuperbiae ludibrio fueris,per dedecus amittere? uerum enimuero, pro deum atq. hominum fidem, uictoria in manu nobis eſt.uiget aetas: animus ualet. contra illis,annis,atq. diuitiis,omnia conſenuerunt. tantummodo incepto opus eſt: cetera res expediet. etenim quis mortalium,cui uirile ingenium eſt, tolerare poteſt, illis diuitias ſuperare, quas profundant in exſtruendo mari, & montib. coaequandis;nobis rem familiarem etiam ad neceſſaria deeſſe?illos binas,aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nuſquam ullum eſſe? cum tabulas, ſigna, toreumata emunt; noua diruunt, alia aedificant; poſtremo omnib. modis pecuniam trahunt, uexant; tamen ſumma libidine diuitias ſuas uincere nequeunt. at nobis eſt domi inopia,foris aes alienum, mala res, ſpes multo aſperior. deniq. quid reliqui habemus, praeter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini?en illa,illa, quam ſaepe optaſtis, liberras, praeterea diuitiae, decus, gloria in oculis ſita ſunt. fortuna ea

omnia uictorib. praemia posuit. res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica, magis, quam oratio mea, uos hortentur. uel imperatore, uel milite me utimini. neq. animus, neq. corpus a uobis aberit. haec ipsa, ut spero, uobiscum una consul agam: nisi forte me animus fallit, & uos seruire magis, quam imperare, parati estis. Postquam accepere ea homines, quib. mala omnia abunde erant, sed neq. res, neq. spes bona ulla: tametsi illis, quieta mouere, magna merces uidebatur; tamen postulauere plerique, uti proponeret, quae condicio belli foret; quae praemia armis peterent; quid ubiq. opis, aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas nouas, proscriptionem locupletum, magistratus, sacerdotia, rapinas, aliaq. omnia, quae bellum, atq. libido uictorum fert: praeterea, esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauritania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consilii sui participes: petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem & familiarem, & omnib. necessitudinib. circumuentum: cum eo consule se initium agendi facturum. ad hoc maledictis increpabat omnes bonos: suorum unumquemq. nominans laudare. admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae, complures periculi, aut ignominiae, multos uictoriae Sullanae, quib. ea praedae fuerat. Postquam omnium animos alacres uidet; cohortatus, ut petitionem suam

curae haberent, conuentum dimisit. Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cum ad iusiurandum populares sceleris sui addiceret, humani corporis sanguinem uino permixtum in pateris circumtulisse; inde, cum post exsecrationem omnes degustauissent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consueuit, aperuisse consilium suum. atq. eo dictitare fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alij tanti facinoris conscij. non nulli ficta & haec, & multa praeterea existimabant ab ijs, qui Ciceronis inuidiam, quae postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum, qui poenas dederant. nobis ea res pro magnitudine parum comperta est. Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitijs atq. facinorib. coopertus: quem senatu censores probri gratia mouerant. huic homini non minor uanitas, quam audacia, inerat. neq. reticere, quae audierat, neq. suamet ipse scelera occultare, prorsus neq. dicere, neq. facere, quidquam pensi habebat. erat ei cum Fuluia, muliere nobili, stupri uetus consuetudo. cui cum minus gratus esset, quod inopia minus largiri poterat; repente glorians maria, montesq. polliceri coepit: & minari interdum ferro, nisi obnoxia foret: postremo, ferocius agitare, quam solitus erat. at Fuluia, ex insolentia Curij caussa cognita, tale periculum reip. haud occultum habuit; sed, sublato auctore, de Catilinae coniuratione quae, quo modo audierat,

dierat, complurib. narrauit. ea res in primis ſtudia hominum accendit ad conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. namq. antea pleraq. nobilitas inuidia aeſtuabat, & quaſi pollui conſulatum credebat, ſi eum, quamuis egregius, homo nouus adeptus foret. ſed, ubi periculum aduenit, inuidia, atq. ſuperbia poſt fuere. Igitur, comitijs habitis, conſules declarantur M. Tullius, & C. Antonius. quod factum primo populares coniurationis concuſſerat. neq. tamen Catilinae furor minuebatur; ſed in dies plura agitare; arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam, ſua, aut amicorum fide ſumptam mutuam, Faeſulas ad Manlium quendam portare; qui poſtea princeps fuit belli faciundi. ea tempeſtate plurimos cuiusq. generis homines adſciuiſſe ſibi dicitur, mulieres aliquot etiam; quae primo ingentes ſumptus ſtupro corporis toleraverant, poſt, ubi aetas tantummodo quaeſtui, neq. luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflauerant. per eas ſe Catilina credebat poſſe ſeruitia urbana ſollicitare, urbem incendere, uiros earum uel adiungere ſibi, uel interficere. ſed in his erat Sempronia; quae multa ſaepe uirilis audaciae facinora commiſerat. haec mulier genere, atq. forma, praeterea uiro, liberis ſatis fortunata fuit; litteris graecis & latinis docta; pſallere, ſaltare elegantius, quam neceſſe eſt probae: multa alia, quae inſtrumenta luxuriae ſunt. ſed ei ſemper

cariora omnia,quam decus, atq. pudicitia fuit. pecuniae,an famae, minus parceret, haud facile diſcerneres. libidine ſic accenſa, ut ſaepius peteret uiros, quam peteretur. ſed ea ſaepe antehac fidem prodiderat, creditum abiurauerat,caedis conſcia fuerat,luxuria,atq. inopia praeceps abierat. uerum ingenium eius haud abſurdum, poſſe uerſus facere, iocum mouere, ſermone uti uel modeſto, uel molli, uel procaci. prorſus multae facetiae,multusq. lepos inerat. His reb. comparatis, Catilina nihilo minus in proximum annum conſulatum petebat; ſperans, ſi deſignatus foret, facile ſe ex uoluntate Antonio uſurum. neq. interea quietus erat, ſed omnib. modis inſidias parabat Ciceroni. neq. illi tamen ad cauendum dolus, aut aſtutiae deerant. namq. a principio conſulatus ſui,multa per Fuluiam pollicendo, effecerat, ut Q. Curius, de quo paullo ante memoraui,conſilia Catilinae ſibi proderet. ad hoc, collegam ſuum Antonium pactione prouinciae perpulerat, ne contra remp. ſentiret: circum ſe praeſidia amicorum, atq. clientium,occulte habebat. Poſtquam dies comitiorum uenit; & Catilinae neq. petitio, neq. inſidiae, quas conſuli fecerat, proſpere ceſſere: conſtituit bellum facere, & extrema omnia experiri;quoniam, quae occulte tentauerat, aſpera, foedaq. euenerant. Igitur C. Manlium Faeſulas, atq. in eam partem Etruriae,Septimium quendam Camertem in agrum

Pice-

Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit, praeterea alium alio, quem ubiq. opportunum sibi fore credebat. Interea Romae multa simul moliri: consuli insidias tendere: parare incendia: opportuna loca armatis hominib. obsidere: ipse cum telo esse, item alios iubere: hortari, uti semper intenti, paratiq. essent: dies, noctesq. festinare: uigilare: neq. insomnia, neq. labore fatigari. postremo, ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes conuocat per M. Porcium Laecam: ibiq. multa de ignauia eorum questus, docet se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capienda arma parauerat; item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent; seq. ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset: eum suis consilijs multum officere. Igitur, perterritis, ac dubitantib. ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, & cum eo L. Vargunteius senator, constituere ea nocte paullo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum, introire ad Ciceronem, ac de improuiso domi suae imparatum confodere. Curius, ubi intelligit, quantum periculum consuli impendeat, propere per Fuluiam Ciceroni dolum, qui parabatur, enunciat. ita illi, ianua prohibiti, tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul, ac dolore iniuriae nouarum rerum cupidam; quod, Sullae dominatione,

tione,agros,bonaq.omnia amiſerat;praeterea, latrones cuiuſq. generis,quorum in ea regione magna copia erat, non nullos ex Sullanis colonis,quib. libido,atq. luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant. ea cum Ciceroni nunciarentur; ancipiti malo permotus,quod neq. urbem ab inſidijs priuato conſilio longius tueri poterat, neque, exercitus Manlij quantus, aut quo conſilio foret, ſatis compertum habebat, rem ad ſenatum refert,iam antea uulgi rumoribus exagitatam. itaque,quod plerumq. in atroci negotio ſolet, ſenatus decreuit, darent operam conſules, ne quid reſp. detrimenti caperet. ea poteſtas per ſenatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnib. modis ſocios, atq. ciues: domi, militiaeq. imperium, atq.iudicium ſummum habere.aliter,ſine populi iuſſu, nulli earum rerum conſuli ius eſt. Poſt paucos dies L. Senius ſenator in ſenatu litteras recitauit, quas Faeſulis allatas ſibi dicebat; in quib. ſcriptum erat, C. Manlium arma cepiſſe, cum magna multitudine, ante diem VI. KAL. Nou. ſimul,id quod in tali re ſolet,alij portenta,atq. prodigia nunciabant: alij, conuentus fieri, arma portari, Capuae, atq. in Apulia ſeruile bellum moueri. igitur ſenati decreto Q. Marcius Rex Faeſulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam, circumq. ea loca miſsi ſunt. hi utriq. ad urbem imperatores erant, impedi-

ti,

ti, ne triumpharent, calumnia paucorum; quib. omnia honesta, atq. inhonesta uendere mos erat. sed praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum: hisq. per missum, uti pro tempore, atq. periculo exercitum compararent. ad hoc, si quis indicasset de coniuratione, quae contra remp. facta erat, praemium decreuere, seruo libertatem, HS $\overline{\text{e}}$, libero impunitatem eius rei, & HS $\overline{\text{cc}}$. itemq. decreuere, uti gladiatoriae familiae Capuam, & in cetera municipia, distribuerentur pro cuiusq. opibus, Romae per totam urbem uigiliae haberentur; eisq. minores magistratus praeessent. Quib. reb. permota ciuitas, atq. immutata facies urbis erat: ex summa laetitia, atq. lasciuia, quae diuturna quies pepererat, repente omnes tristitia inuasit. festinare, trepidare: neq. loco, neq. homini cuiquam satis credere: neq. bellum gerere, neq. pacem habere: suo quisq. metu pericula metiri. ad hoc, mulieres, quib. pro reip. magnitudine bellli timor insolitus incesserat, afflictare sese: manus supplices ad caelum tendere: miserari paruos liberos: rogitare: omnia pauere: superbia, atq. delicijs omissis, sibi, patriaeq. diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem illa mouebat: tamet si praesidia parabantur; & ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paulllo. postremo, dissimulandi caussa, & quasi sui expurgandi, sicuti iurgio lacessitus foret, in senatum uenit.

Tum M. Tullius consul, siue praesentiam eius timens, siue ira commotus, orationem habuit luculentam, atq. utilem reip. quam postea scriptam edidit. Sed, ubi ille assedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso uultu, uoce supplici, postulare a patrib. coepit, ne quid de se temere crederent: ea familia ortum, ita se ab adolescentia uitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet: ne existimarent, sibi, patricio homini, cuius ipsius, atq. maiorum plurima beneficia in plebem R. essent, perdita rep. opus esse; cum eam seruaret M. Tullius, inquilinus ciuis urbis Romae. ad haec maledicta alia cum adderet; obstrepere omnes, hostem, atq. parricidam uocare. tum ille furibundus, Quoniam quidem circumuentus, inquit, ab inimicis praeceps agor; incendium meum ruina restinguam. Deinde se ex curia domum proripuit. ibi multa secum ipse uoluens, quod neq. insidiae consuli procedebant, & ab incendio intelligebat urbem uigilijs munitam, optimum factu credens exercitum augere, ac prius, quam legiones scriberentur, multa ante capere, quae bello usui forent, nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. sed Cethego, atq. Lentulo, ceterisque, quor. cognouerat promptam audaciam, mandat, quib. reb. possent, opes factionis confirment; insidias cõsuli maturent; caedẽ, incendia, aliaq. belli facinora parẽt: sese propediem cum magno exercitu ad urbem

acceſſurum. Dum haec Romae geruntur, C. Manlius ex ſuo numero legatos ad Q. Marcium regem mittit cum mandatis huiuſcemodi. Deos, hominesq. teſtamur, imperator, nos arma neq. contra patriam cepiſſe, neq. quo periculum alijs faceremus, ſed uti corpora noſtra ab iniuria tuta forent: qui miſeri, egentes, uiolentia, atq. crudelitate feneratorum pleriq. patria, ſed omnes fama, atq. fortunis expertes ſumus: neq. cuiquam noſtrum licuit, more maiorum, lege uti, neque, amiſſo patrimonio, corpus liberum habere: tanta ſaeuitia feneratorum, atq. praetoris fuit. ſaepe maiores ueſtrum, miſeriti plebis R. decretis ſuis inopiae eius opitulati ſunt: ac nouiſsime, memoria noſtra, propter magnitudinem aeris alieni, uolentib. omnib. bonis, argentum aere ſolutum eſt. ſaepe ipſa plebes, aut dominandi ſtudio permota, aut ſuperbia magiſtratuum armata, a patrib. ſeceſsit. at nos non imperium, neq. diuitias, petimus; quarum rerum cauſſa, bella, atq. certamina omnia inter mortales ſunt; ſed libertatem; quam nemo bonus, niſi cum anima ſimul, amittit. Te, atq. ſenatum obteſtamur, conſulatis miſeris ciuibus; legis praeſidium, quod iniquitas praetor iseripuit, reſtituatis; ne ue nobis eam neceſsitudinem imponatis, ut quaeramus, quonam modo maxime ulti ſanguinem noſtrum pereamus. Ad haec Q. Marcius reſpondit ſi quid ab ſenatu petere uellent, ab armis diſcedant, Romam ſupplices proficiſcan-

ficiſcantur: ea miſericordia, ac maſuetudine ſenatum, populumq. R. ſemper fuiſſe, ut nemo umquam ab eo fruſtra auxilium petiuerit. At Catilina ex itinere plerisq. conſularibus, praeterea optimo cuiq. litteras mittit: ſe, falſis criminib. circumuentum, quoniam factioni inimicorum reſiſtere nequiuerit, fortunae cedere, Maſsiliam in exſilium proficiſci; non quo ſibi tanti ſceleris conſcius eſſet; ſed uti reſp. quieta foret; ne ue ex ſua contentione ſeditio oriretur. Ab his longe diuerſas litteras Q. Catulus in ſenatu recitauit; quas ſibi nomine Catilinae redditas dicebat. earum exemplum infra ſcriptum eſt.

L. CATILINA
Q. CATVLO. S.

EGREGIA tua fides, re cognita, grata mihi, magnis in meis periculis, fiduciam commendationi meae tribuit. quamobrem defenſionem in nouo conſilio non ſtatui parare: ſatis factionem ex nulla conſcientia de culpa proponere decreui: quam medius fidius licet ueram cognoſcas. Iniurijs, contumelijsq. concitatus, quod fructu laboris, induſtriaeq. meae priuatus, ſtatum dignitatis non obtinebam, publicam miſerorum cauſſam pro mea conſuetudine ſuſcepi: non, quin aes alienum meis nominib. ex poſſeſsionib. ſoluere poſſem; cum & alijs nominib. liberalitas Aureliae Oreſtillae,

ſuis,

suis,filia eq.copijs persolueret:sed, quod non dignos homines honore honestatos uidebam; meq.falsa suspicione alienatum esse sentiebam. hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquae dignitatis conseruandae sum secutus. Plura cum scribere uellem,nunciatum est mihi uim parari. Nunc Orestillam tibi commendo,tuaeq. fidei trado. eam ab iniuria defendas,per liberos tuos rogatus,aueto. Sed ipse,paucos dies commoratus apud C. Flaminium in agro Reatino, dum ciuitatem antea sollicitatam armis exornat,cum fascibus, atq. alijs imperij insignib. in castra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae comperta sunt;senatus Catilinam, & Manlium hostes iudicat;ceterae multitudini diem statuit, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere,praeter rerum capitalium condemnatis:praeterea,decernit, uti consules delectum habeant; Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet; Cicero urbi praesidio sit. Ea tempestate mihi imperium populi R.multo maxime miserabile uisum est:cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent; domi otium, atq. diuitiae,quae prima mortales putant,affluerent; fuere tamen ciues, qui seque, remq. publicam obstinatis animis perditum irent. namque, duob. senati decretis, ex tanta multitudine neq.praemio inductus coniurationem patefecerat,neq. ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat. tanta uis morbi, atq. uti tabes

bes pleroſq. ciuium animos inuaſerat. neq. ſolum illis aliena mens erat, qui conſcij coniurationis fuerant; ſed omnino cuncta plebes, noua rum rerum ſtudio, Catilinae incepta probabat. id adeo more ſuo uidebatur facere. nam ſemper in ciuitate, quib. opes nullae ſunt, bonis inuident, malos extollunt; uetera odere, noua exoptant; odio ſuar. rer. mutari omnia ſtudent; turba, atq. ſeditionib. ſine cura aluntur; quoniam egeſtas facile habetur ſine damno. Sed urbana plebes ea uero praeceps erat multis de cauſsis. primum omnium qui ubiq. probro, atq. petulantia maxime praeſtabant, item alij, per dedecora patrimonijs amiſsis, poſtremo omnes, quos flagitium, aut facinus domo expulerat, hi Romam, ſicuti in ſentinam, confluxerant. deinde multi, memores Sullanae uictoriae, quod ex gregarijs militib. alios ſenatores uidebant, alios ita diuites, ut regio uictu, atq. cultu aetatem agerent, ſibi quiſque, ſi uictoria in armis foret, talia ſperabat. Praeterea, iuuentus, quae in agris manuum mercede inopiam tolerauerat, priuatis, atq. publicis largitionib. excita, urbanum otium ingrato labori praetulerat. eos, atq. alios omnes malum publicum alebat. quo minus mirandum eſt, homines egentes, malis moribus, maxima ſpe, reip. iuxta ac ſibi conſuluiſſe. praeterea, quorum, uictoria Sullae, parentes proſcripti, bona erepta, ius libertatis imminutum erat, haud ſane alio animo belli euentum

tum exſpectabant. ad hoc, quicumq. aliarum, atq. ſenatus, partium erant, conturbari remp. quam minus ualere ipſi, malebant. id adeo malum multos poſt annos in ciuitatem reuerterat. nam, poſtquam Cn. Pompeio, & M. Craſſo cos. tribunicia poteſtas reſtituta eſt; homines adoleſcentes, ſummam poteſtatem nacti, quib. aetas, animusq. ferox erat, coepere, ſenatum criminando, plebem exagitare; deinde, largiendo, atq. pollicitando, magis incendere; ita ipſi clari, potentesq. fieri. contra eos ſumma ope nitebatur pleraq. nobilitas ſenatus, ſpecie reip. pro ſua magnitudine. namque, uti paucis uerum abſoluam, per illa tempora quicumq. remp. agitauere, honeſtis nominibus, alij, ſicuti iura populi defenderent, pars, quo ſenatus auctoritas maxima foret, bonum publicum ſimulantes, pro ſua quiſq. potentia certabat: neq. illis modeſtia, neq. modus contentionis erat: utiq. uictoriam crudeliter exercebant. ſed, poſtquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum, atq. Mithridaticum miſſus eſt; plebis opes imminutae; paucorum potentia creuit. hi magiſtratus, prouincias, aliaq. omnia tenere: ipſi innoxij, florentes, ſine metu aetatem agere, ceterosq. iudicijs terrere, quo plebem in magiſtratu placidius tractarent. ſed, ubi primum, dubijs reb. nouandis, ſpes oblata eſt; uetus certamen animos eorum arrexit. quod ſi primo proelio Catilina ſuperior, aut aequa manu diſceſſiſſet:

profe-

profecto magna clades, atq. calamitas remp. oppressisset: neq. illis, qui uictoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset; quin defessis, & exsanguibus, qui plus posset, imperium, atq. libertatem extorqueret. Fuere tamen extra coniurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt. in his erat Fuluius, senatoris filius: quem retractum ex itinere parens necari iussit. Iisdem temporib. Romae Lentulus, sicuti Catilina praeceperat, quoscumq. moribus, aut fortuna nouis reb. idoneos credebat, aut per se, aut per alios sollicitabat; neq. solum ciues, sed cuiusq. modi genus hominum, quod modo usui bello foret. igitur P. Vmbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat; eosque, si possit, impellat ad societatem belli; existimans publice, priuatimq. aere alieno oppressos; praeterea, quod natura Gallica gens bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. Vmbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisq. principib. ciuitatum notus erat, atq. eos nouerat: itaq. sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percunctatus pauca de statu ciuitatis, & quasi dolens eius casum, requirere coepit, quem exitum tantis malis sperarent. postquam illos uidet queri de auaritia magistratuum, accusare senatum, quod in eo auxilij nihil esset; miserijs suis remedium mortem exspectare: At ego, inquit, uobis, si modo uiri esse uultis, rationem ostendam, qua tanta mala ista effu-

effugiatis. Haec ubi dixit; Allobroges, in maximam ſpem adducti, Vbrenum orare, ut ſui miſereretur: nihil tam aſperum, neq. tam difficile eſſe, quin cupidiſsime facturi eſſent; dum ea res ciuitatem aere alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat, neq. aliena conſilij propter Semproniam. nam tum Brutus ab Roma aberat. praeterea Gabinium arceſsit; quo maior auctoritas ſermoni in eſſet. eo praeſente coniurationem aperit: nominat ſocios, praeterea multos cuiuſq. generis innoxios; quo legatis animus amplior eſſet: deinde eos, pollicitos operam ſuam, domum dimittit. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam conſilij caperent. in altera parte erat aes alienum, ſtudium belli, magna merces in ſpe uictoriae: at in altera maiores opes, tuta conſilia, pro incerta ſpe certa praemia. haec illis uoluentibus, tandem uicit fortuna reip. itaq. Q. Fabio Sangae, cuius patrocinio plurimum ciuitas utebatur, rem omnem, uti cognouerant, aperiunt. Cicero, per Sangam conſilio cognito, legatis praecipit, ut ſtudium coniurationis uehementer ſimulent; ceteros adeant; bene polliceantur; dentq. operam, uti eos quammaxime manifeſtos habeant. Iiſdem fere temporibus, in Gallia citeriore, atq. ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. namq. illi, quos ante Catilina dimiſerat, inconſulte, ac ueluti per dementiam, cuncta ſimul agebant:

noctur-

nocturnis consilijs,armorum,atq.telorum portationibus, festinando, agitando omnia,plus timoris, quam periculi, effecerant. ex eo numero complures Q. Metellus Celer praetor, ex S. C. causſa cognita, in uincula coniecerat: item in citeriore Gallia C. Murena, qui ei prouinciae legatus praeerat. At Romae Lentulus cum ceteris, qui principes coniurationis erant, paratis, ut uidebatur, magnis copijs, constituerat, uti, cum Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu uenisset, L. Bestia tribunus pl.concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis, belliq. grauissimi inuidiam optimo consuli imponeret; eo signo, proxima nocte cetera multitudo coniurationis suum quisq.negotium exsequeretur. sed ea diuisa hoc modo dicebantur:Statilius, & Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent;quo tumultu facilior aditus ad consulem,ceterosque,quib.insidiae parabantur,fieret:Cethegus Ciceronis ianuam obsideret,eumq.ui aggrederetur,alius autem alium;sed filij familiarum, quorum ex nobilitate maxima pars erat, parentes interficerent; simul, caede, & incendio perculsis omnibus,ad Catilinam erumperent.Inter haec parata, atq. decreta,Cethegus semper querebatur de ignauia sociorum: illos, dubitando, & dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere: facto, non consulto, in tali periculo opus esse:seque,si pauci adiuuarent,languentibus

tibus alijs, impetum in curiam facturum. natura ferox, uehemens, manu promptus erat: maximum bonum in celeritate putabat. Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conueniunt: ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Casio postulant iusiurandum, quod signatum ad ciues perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. ceteri, nihil suspicantes, dant. Casius semet eo breui uenturum pollicetur, ac paullo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his P. Vulturtium quendam Crotonienſem mittit: ut Allobroges, prius quam domum pergerent, cum Catilina, data, atq. accepta fide, societatem confirmarent. ipse Vulturtio litteras ad Catilinam dat: quarum exemplum infra scriptum est. Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. fac cogites, in quanta calamitate sis: & memineris, te uirum esse. consideres, quid tuae rationes postulent: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis. Ad hoc, mandata uerbis dat: cum ab senatu hostis iudicatus sit, quo consilio seruitia repudiet: in urbe parata esse, quae iusserit: ne cunctetur ipse propius accedere. His reb. ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco, & C. Pomptinio praetorib. imperat, ut in ponte Miluio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant: rem omnem aperit, cuius rei gratia mittebantur: cetera, uti facto opus

sit, ita agant, permittit illis. homines militares, sine tumultu praesidijs collocatis, sicuti praeceptum erat, occulte pontem obsident. Postquam ad id loci legati cum Vulturtio uenerunt; & simul utrimq. clamor exortus est: Galli, cito cognito consilio, sine mora praetorib. se tradunt, Vulturtius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit; deinde, ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinium obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus, ac uitae diffidens, uelut hostibus, sese praetorib. dedit. quib. reb. confectis, omnia propere per nuncios consuli declarantur. At illum ingens cura, atq. laetitia simul occupauere. nam laetabatur intelligens, coniuratione patefacta, ciuitatem periculis ereptam esse. porro autem anxius erat, dubitans, in maximo scelere tantis ciuib. deprehensis, quid facto opus esset. poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae reip. fore credebat. igitur, confirmato animo, uocari ad sese iubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, itemq. Cepariuм Terracinensem; qui in Apuliam, ad concitanda seruitia, proficisci parabat. ceteri sine mora ueniunt: Ceparius, paullo ante domo egressus, cognito indicio, ex urbe profugerat. consul Lentulum, quod praetor erat, ipse manu tenens in senatum perducit; reliquos cum custodib. in aedē Concordiae uenire iubet. eo senatum aduocat; magnaq. frequentia eius ordinis, Vulturtiū cum

legatis

legatis introducit ; Flaccum praetorem scrinium cum litteris,quas a legatis acceperat, eodem afferre iubet. Vulturtius,interrogatus de itinere,de litteris,postremo quid,aut qua de cauſ sa,consilij habuisset, primo fingere alia omnia, disimulare de coniuratione;post,ubi fide publica dicere iussus est, omnia, uti gesta erant, aperit;docetq. se paucis ante dieb. a Gabinio,& Cepario socium accitum:nihil amplius scire,quam legatos: tantummodo audire solitum ex Gabinio,P. Autronium,Ser.Sullam,L.Vargunteium, multos praeterea in ea coniuratione esse. Eadem Galli fatentur. At Lentulum disimulantem coarguunt, praeter litteras, sermonibus, quos ille habere solitus erat:ex libris Sibyllinis, regnum Romae trib. Cornelijs portendi: Cinnam, atq. Sullam antea, se tertium esse, cui fatum foret urbis potiri:praeterea,ab incenso Capitolio illum esse uigesimum annum, quem saepe ex prodigijs haruspices respondissent bello ciuili cruentum fore.Igitur,perlectis litteris,cum prius omnes signa sua cognouissent,senatus decernit,uti,abdicato magistratu,Lentulus,itemq. ceteri in liberis custodijs habeantur.itaq.Lentulus P.Lentulo Spintheri,qui tum aedilis erat, Cethegus Q.Cornificio,Statilius C.Caesari,Gabinius M.Crasso,Ceparius (nam is paullo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio senatori traduntur. Interea plebes,coniuratione patefacta, quae primo cupida nouarum rerum nimis

bello fauebat, mutata mente Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad caelum tollere; ueluti ex seruitute erepta, gaudium, atq. laetitiam agitabat. namq. alia belli facinora praedae magis, quam detrimento, fore, incendium uero crudele, immoderatum, ac sibi maxime calamitosum putabat; quippe cui omnes copiae in usu quotidiano, & cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad senatum adductus erat: quem, ad Catilinam proficiscentem, ex itinere retractum aiebant. is cum se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset; iussus a consule, quae sciret, edicere, eadem fere, quae Vulturtius, de paratis incendijs, de caede bonorum, de itinere hostium senatum edocet: praeterea, se missum a M. Crasso, qui Catilinae nunciaret, ne eum Lentulus, & Cethegus, aliiq. ex coniuratione deprehensi terrerent; eoq. magis properaret ad urbem accedere, quo & ceterorum animos reficeret, & illi facilius e periculo eriperentur. Sed, ubi Tarquinius Crassum nominauit, hominem nobilem, maximis diuitijs, summa potentia; alij rem incredibilem rati; pars, tametsi uerum existimabant, tamen, quia in tali tempore tanta uis hominis magis leniunda, quam exagitanda, uidebatur, pleriq. Crasso ex priuatis negotijs obnoxij, conclamant, indicem falsum esse; deq. ea re postulant uti referatur. itaque, consulente Cicerone, frequens senatus decernit, Tarquinij

quinij indicium falsum uideri; eumq. in uinculis retinendum; neq. amplius potestatem faciundam, nisi de eo indicaret, cuius consilio tantam rem esset mentitus. Erant eo tempore, qui existimarent, indicium illud a P. Autronio machinatum; quo facilius, appellato Crasso, per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret. alij Tarquinium immissum a Cicerone, aiebant; ne Crassus, more suo suscepto malorum patrocinio, remp. conturbaret: ipsum Crassum ego postea praedicantem audiui, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam. Sed ijsdem temporib. Q. Catulus, & Cn. Piso neq. precibus, neq. gratia, neq. pretio Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges, aut per alium indicem, C. Caesar falso nominaretur. nam uterq. cum illo graues inimicitias exercebant; Piso, oppugnatus in iudicio repetundarum, propter cuiusdam transpadani suppliciuminiustum; Catulus, ex petitione pontificatus odio incensus; quod extrema aetate, maximis honorib. usus, ab adolescentulo Caesare uictus discesserat. res autem oportuna uidebatur; quod is, priuatim egregia liberalitate, publice maximis muneribus, grandem pecuniam debebat. Sed, ubi consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi, sigillatim circuendo, atq. ementiendo quae se ex Vulturtio, aut Allobrogib. audisse dicerent, magnam illi inuidiam conflauerant; usq. eo, ut

non nulli equites R. qui praesidij caussa cum telis erant circum aedem Concordiae, seu periculi magnitudine, seu animi mobilitate impulsi, quo studium suum in remp. clarius esset, egredienti ex senatu Caesari gladio minitarentur. Dum haec in senatu aguntur; & dum legatis Allobrogum, & T. Vulturtio, comprobato eorum indicio, praemia decernuntur: libertini, & pauci ex clientib. Lentuli, diuersis itineribus, opifices, atq. seruitia, in uicis ad eum eripiendum sollicitabant: partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio remp. uexare soliti erant. Cethegus autem per nuncios familiam, atq. libertos suos, lectos, & exercitatos in audaciam, orabat, ut, grege, facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi ea parari cognouit, dispositis praesidijs, uti res, atq. tempus monebat, conuocato senatu, refert, quid de ijs fieri placeat, qui in custodijs traditi erant. sed eos paullo ante frequens senatus iudicauerat contra remp. feciſſe. Tum D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de ijs, qui in custodijs tenebantur, & praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Vmbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decreuerat: isq. postea, permotus oratione C. Caesaris, pedib. in sententiam Ti. Neronis iturum se dixerat; qui de ea re, praesidijs additis, referundum censuerat. Sed Caesar, ubi ad eum uentum est, rogatus sententiam a consule,

huiu-

huiuſcemodi uerba locutus eſt... Omnes homines P.C.qui de reb. dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atq. miſericordia uacuos eſſe decet. haud facile animus uerum prouidet, ubi illa officiunt; neq. quiſquam omnium libidini ſimul, & uſui. paruit. ubi intenderis ingenium; ualet. ſi libido poſsidet; ea dominatur; animus nihil ualet. Magna mihi copia eſt memorandi P. C. qui reges, aut qui populi, ira, aut miſericordia impulſi, male conſuluerint: ſed ea malo dicere, quae maiores noſtri, contra libidinem animi ſui, recte, atq. ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perſe geſsimus, Rhodiorum ciuitas, magna, atq. magnifica, quae populi R. opib. creuerat, infida, atq. aduorſa nobis fuit: ſed poſtquam, bello confecto, de Rhodijs conſultum eſt; maiores noſtri, ne quis diuitiarum magis, quam iniuriae cauſſa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimiſere. Item, bellis Punicis omnibus, cum ſaepe Carthaginienſes & in pace, & per indutias multa nefaria facinora feciſſent, numquam ipſi per occaſionem talia fecere: magis, quod ſe dignum foret, quam quod in illos iure fieri poſſet, quaerebant. Hoc item uobis prouidendum eſt P. C. ne plus apud uos ualeat P. Lentuli, & ceterorum ſcelus, quam ueſtra dignitas; neu magis irae ueſtrae, quam famae, conſulatis. nam, ſi digna poena pro factis eorum reperitur: nouum conſilium approbo. ſin magnitudo ſceleris omniũ ingenia exſu-

perat: ijs utendum censeo, quae legib. compara ta sunt. Pleriq. eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite, atq. magnifice casum reip. miserati sunt: quae belli saeuitia esset, quae uictis accideren, enumerauere: rapi uirgines, pueros: diuelli liberos a parentum complexu: matres familiarum pati, quae uictorib. collibuissent: fana, atq. domo, spoliari: caedem, incendia fieri: postremo, armis, cadaueribus, cruore, atq. luctu, omnia compleri. sed, per deos immortales, quò illa oratio pertinuit? an, uti uos infestos coniurationi faceret? scilicet, quem res tanta, atq. tam atrox non permouit, eum oratio accendet. non ita est: neq. cuiquam mortalium iniuriae suae paruae uidentur: multi eas grauius aequo habuere. sed alijs alia licentia est, P.C. quidem si in obscuro uitam agunt, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama, atq. fortuna eorum pares sunt: qui magno imperio praediti, in excelso aetatem agunt; eorum facta cuncti mortales nouere. ita in maxima fortuna minima licentia est. neq. studere, neq. odisse, sed minime irasci, decet. quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia, atq. crudelitas, appellatur. Equidem ego sic existimo P.C. omnes cruciatus minores, quam facinora illorum, esse. sed pleriq. mortales postrema meminere; & in hominib. impijs, sceleris eorum obliti, de poena disserunt, si ea paullo saeuior fuerit. D. Silanum, uirum fortem, atq. strenuum, certo scio,

to scio, quae dixerit, studio reip. dixisse, neq. illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere. eos mores, eamq. modestiam uiri cognoui. uerum sententia eius mihi non crudelis, (quid enim in tales homines crudele fieri potest?) sed aliena a rep. nostra uidetur. Nam profecto aut metus, aut iniuria te subegit, Silane, consulem designatum, genus poenae nouum decernere. de timore, superuacaneum est disserere; cum praesertim, diligentia clarissimi uiri consulis, tanta praesidia sint in armis. de poena, possum equidem dicere id, quod res habet; in luctu, atq. miserijs, mortem aerumnarum requiem, non cruciatum, esse; eam cuncta mortalium mala dissoluere; ultra neq. curae, neq. gaudio, locum esse. sed, per deos immortales, quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius uerberib. in eos animaduerteretur? an, quia lex Porcia uetat? at aliae leges item condemnatis ciuib. non animam eripi, sed exsilium permitti iubent. an, quia grauius est uerberari, quam necari? quid aut acerbum, aut nimis graue, est in homines tanti facinoris conuictos? sin, quia leuius est: qui conuenit in minore negotio legem timere, cum eam in maiore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas reip. decretum erit? tempus, dies, fortuna; cuius libidogentib. moderatur. illis merito accidet, quidquid euenerit: ceterum uos P.C. quid in aliis statuatis, considerate. omnia mala exempla ex bonis

BIBLIOTECA PAPALE ROMA

nis initijs orta sunt: sed,ubi imperium ad ignaros ciues, aut minus bonos,peruenit;nouum illud exẽplum ab dignis, & idoneis ad indignos, & non idoneos transfertur. Lacedaemonij, deuictis Athenienſibus, triginta uiros impoſuere, qui remp. eorum tractarent. hi primo coepere peſsimum quemque, & omnib. inuiſum indemnatum necare. ea populus laetari,& merito dicere fieri.poſt, ubi paullatim licentia creuit;iuxta bonos & malos libidinoſe interficere,ceteros metu terrere. ita ciuitas, ſeruitute oppreſſa,ſtultae laetitiae graues poenas dedit.Noſtra memoria uictor Sulla,cum Damaſippum, & alios eiuſmodi, qui malo reip. creuerant, iugulari iuſſit; quis non factum eius laudabat? homines ſceleſtos, factioſos, qui ſeditionib. remp. exagitauerant, merito necatos aiebant. ſed ea res magnae initium cladis fuit. nam, uti quiſq. aut domum,aut uillam, poſtremo uas,aut ueſtimentum alicuius concupiuerat;dabat operam, uti is in proſcriptorum numero eſſet.ita illi,quib.Damaſippi mors laetitiae fuerat, paullo poſt ipſi trahebantur: neq. prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnes ſuos diuitijs expleuit. Atq. ego hoc non in M. Tullio, neq. his temporib. uereor. ſed in magna ciuitate multa, & uaria ingenia ſunt. poteſt alio tempore,alio conſule, cui item exercitus in manu ſit, falſum aliquid pro uero credi. ubi hoc exemplo, per ſenatus decretum, gladium conſul eduxerit,quis illi finem

nem ſtatuet, aut quis moderabitur? Maiores noſtri P.C. neq. conſilij, neq. audaciae umquam eguere: neq. illis ſuperbia obſtabat, quo minus aliena inſtituta, ſi modo proba erant, imitarentur. arma, atq. tela militaria ab Samnitibus, inſignia magiſtratuum ab Tuſcis pleraq. ſumpſerunt: poſtremo, quod ubiq. apud ſocios, aut hoſtes idoneum uidebatur, cum ſummo ſtudio domi exſequebantur. imitari, quam inuidere bonis, malebant. ſed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, uerberib. animaduertebant in ciues, de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant. poſtquam reſp. adoleuit; & multitudine ciuium factiones ualuere; circumueniri innocentes, alia huiuſcemodi fieri coepere: tunc lex Porcia, aliaeq. leges paratae ſunt; quib. legib. exſilium damnatis permiſſum eſt. Hanc ego cauſſam P.C. quo minus nouum conſilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto uirtus, atq. ſapientia maior in illis fuit, qui ex paruis opib. tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta uix retinemus. Placet igitur eos dimitti, & augeri exercitum Catilinae? minime: ſed ita cenſeo: publicandas eorum pecunias; ipſos in uinculis habendos per municipia, quae maxime opib. ualent: neu quis de his poſtea ad ſenatum referat, ne ue cum populo agat: qui aliter fecerit, ſenatum exiſtimare, eum contra remp. & ſalutem omnium facturum. Poſtquam Caeſar dicendi finem fecit;

cit; ceteri uerbo, alius alij uarie assentiebantur. At M. Porcius Cato, rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit. Longe mihi alia mens est P. C. cum res, atq. pericula nostra considero, & cum sententias non nullorum ipse mecum reputo. illi mihi disseruisse uidentur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris, atq. focis suis bellum parauere. res autem monet, cauere ab illis magis, quam, quid in illos statuamus, consultare. nam cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt: hoc, nisi prouideris, ne accidat; ubi euenit, frustra iudicia implores. capta urbe, nihil reliqui fit uictis. sed, per deos immortales, (uos ego appello, qui semper domos, uillas, signa, tabulas uestras pluris, quam remp. feciſtis) si ista, cuiuscumq. modi sint, quae amplexamini, retinere, si uoluptatib. uestris otium praebere uultis: expergiscimini aliquando, & capessite remp. non agitur de uectigalibus, neq. de sociorum iniurijs: libertas, & anima nostra in dubio est. Saepenumero P. C. multa uerba in hoc ordine feci: saepe de luxuria, atq. auaritia nostrorum ciuium questus sum; multosq. mortales ob eam causam aduersos habeo. qui mihi, atq. animo meo nullius umquam delicti gratiam feciſſem, haud facile alterius libidini malefacta condonabam. sed, ea tametsi uos parui pendebatis: tamen resp. firma erat: opulentia negligentiam tolerabat. nunc uero non id agitur, bonis ne, an malis

mo-

morib. uiuamus;neque,quantum,aut quam magnificum imperium populi R.sit;sed,cuius haec cumq. modi uidentur,nostra,an,nobiscum una, hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem,& misericordiam nominat?iam pridem equidem nos uera rerum uocabula amisimus. quia,bona aliena largiri, liberalitas;malarum rerum audacia,fortitudo uocatur; eo resp. in extremo sita est. sint sane,quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis: sint misericordes in furibus aerarij: ne illi sanguinem nostrum largiantur; &, dum paucis scelestis parcunt,bonos omnes perditum eant.Bene, & composite C. Caesar paullo ante in hoc ordine de uita,& morte disseruit, credo falsa existimans ea, quae de inferis memorantur; diuerso itinere malos a bonis loca taetra,inculta, foeda, atq. formidolosa habere.itaq. censuit,pecunias eorum publicandas,ipsos per municipia in custodijs habendos;uidelicet timens,ne,si Romae sint,aut a popularibus coniurationis,aut a multitudine conducta,per uim eripiantur. quasi uero mali, atq. scelesti tantummodo in urbe, & non per totam Italiam,sint;aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt.quare uanum equidem hoc consilium est,si periculum ex illis metuit. sin in tanto omnium metu solus non timet: eo magis refert, me mihi, atq. uobis timere. Quae de P. Lentulo, ceterisq. statuetis; pro certo habetote, uos simul

mul de exercitu Catilinae,& de omnib. coniuratis, decernere. quanto uos attentius ea agetis; tanto illis animus infirmior erit. si paullulum modo uos languere uiderint; iam omnes ferocès aderunt. Nolite existimare, maiores nostros armis remp. ex parua magnam feciſſe. si ita res eſſet; multo pulcherrimam eam nos haberemus. quippe ſociorum, atq. ciuium, praeterea armorum, atq. equorum, maior nobis copia, quam illis, eſt. ſed alia fuere, quae illos magnos fecere; quae nobis nulla ſunt; domi induſtria, foris iuſtum imperium; animus in conſulendo liber, neq. delicto, neq. libidini, obnoxius. pro his nos habemus luxuriam, atq. auaritiam, publice egeſtatem, priuatim opulentiam: laudamus diuitias, ſequimur inertiam: inter bonos & malos nullum diſcrimen eſt; omnia uirtutis praemia ambitio poſsidet. neq. mirum; ubi uos ſeparatim ſibi quiſq. conſilium capitis; ubi domi uoluptatibus, hic pecuniae, aut gratiae ſeruitis. eo fit, ut impetus fiat in uacuam remp. Sed ego haec omitto. Coniurauere nobiliſsimi ciues patriam incendere: Gallorum gentem, infeſtiſsimam Romano nomini, ad bellum accerſiunt: dux hoſtium cum exercitu ſupra caput eſt: uos cunctamini etiam nunc? & dubitatis, quid, intra moenia deprehenſis hoſtibus, faciatis? miſereamini, cenſeo: deliquere homines adoleſcentuli per ambitionem: atq. etiam armatos dimittatis. nae iſta uobis manſuetudo, & miſericordia, ſi

illi

illi arma ceperint, in miseriam uertet. Scilicet res ipsa aspera est; sed uos non timetis eam. immo uero maxime; sed inertia, & mollitia animi, alius alium exspectantes, cunctamini; uidelicet dijs immortalib. confisi, qui hanc remp. in maximis saepe periculis seruauere. non uotis, neq. supplicijs muliebrib. auxilia deorum parantur. uigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt. ubi socordiae tete, atq. ignauiae tradideris; nequidquam deos implores. irati, infestiq. sunt. Apud maiores nostros A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnauerat, necari iussit. atq. ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit. uos, de crudelissimis parricidis quid statuatis, cunctamini? uidelicet cetera uita eorum huic sceleri obstat. uerum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si dijs, aut hominib. umquam ullis pepercit. ignoscite Cethegi adolescentiae, nisi iterum iam patriae bellum fecit. nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cepario loquar? quib. si quidquam pensi umquam fuisset, non ea consilia de rep. habuissent. Postremo P. C. si mehercle peccato locus esset; facile paterer uos ipsa re corrigi, quoniam uerba mea contemnitis: sed undiq. circumuenti sumus: Catilina cum exercitu in faucib. urget: alij intra moenia, atq. in sinu urbis sunt hostes: neq. parari, neq. consuli quidquam potest occulte. quo magis

pro

properandum est. Quare ita censeo:cum nefario consilio sceleratorum ciuium resp. in maxima pericula uenerit;hiq. indicio T. Vulturtij,& legatorum Allobrogum conuicti , confessiq. sint,caedem,incendia,aliaq.foeda,atq. crudelia facinora in ciues,patriamq. parauisse;de confessis,sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum supplicium sumendum.Postquam Cato assedit;consulares omnes,itemq. senatus magna pars,sententiam eius laudant,uirtutem animi ad caelum ferunt : alij alios increpantes, timidos uocant : Cato magnus,atq. clarus habetur : senati decretum fit, sicuti ille censuerat. Sed mihi , multa legenti , multa audienti , quae populus R. domi,militiaeque , mari , atq. terra praeclara facinora fecit, forte libuit attendere , quae res maxime tanta negotia sustinuisset. Sciebam , saepenumero parua manu cum magnis legionibus hostium contendisse: cognoueram,paruis copijs bella gesta cum opulentis regibus : ad hoc,saepe fortunae uiolentiam tolerauisse : facundia Graecos, gloria belli Gallos Romanos antefuisse.ac mihi,multa agitanti,consta bat,paucorum ciuium egregiam uirtutem cuncta patrauisse ; eoq. factum , uti diuitias paupertas,multitudinem paucitas superaret. sed,postquam luxu, atq. desidia ciuitas corrupta est; rursus resp . magnitudine sua imperatorum , atq. magistratuum uitia sustentabat ; ac , ueluti effeta parente , multis tempestatib. haud

sane

sane quisquam Romae uirtute magnus fuit. sed, memoria mea, ingenti uirtute, diuersis morib. fuere uiri duo, M. Cato, & C. Caesar: quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusq. naturam & mores, quantum ingenio possem, aperirem. Igitur his genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere: magnitudo animi par, item gloria, sed alia alij. Caesar beneficijs, ac munificentia magnus habebatur; integritate uitae Cato. ille mansuetudine, & misericordia clarus factus: huic seueritas dignitatem addiderat. Caesar, dando, subleuando, ignoscendo; Cato, nihil largiendo, gloram adeptus est. in altero miseris perfugium erat; in altero malis pernicies. illius facilitas, huius constantia laudabatur. postremo Caesar in animum induxerat, laborare, uigilare; negotijs amicorum intentus, sua negligere; nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, nouum bellum exoptabat, ubi uirtus enitescere posset. at Catoni studium modestiae, & decoris, sed maxime seueritatis erat. non diuitijs cum diuite, nec factione cum factioso, sed cum strenuo uirtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat: esse, quam uideri, bonus malebat: ita, quo minus gloriam petebat, eo magis illam assequebatur. Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit; consul optimum factu ratus, noctem, quae instabat, ante ca

pere, ne quid eo ſpatio nouaretur, triumuiros, quae ad ſuppliciu m poſtulabat, parare iubet: ipſe, diſpoſitis praeſidijs, Lētulum in carcerem deducit: ceteris idem fit per praetores. Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paullulum adſcenderis ad laeuam, circiter XII pedes humi depreſſus. eum muniunt undiq. parietes, atq. inſuper camera lapideis fornicib. iuncta: ſed inculta tenebris, odore foeda, atq. terribilis eius facies eſt. in eum locum poſtquam demiſſus eſt Lentulus; iudices rerum capitalium, quib. praeceptum erat, laqueo gulam fregere. ita ille patricius, ex gente clariſsima Corneliorum, qui conſulare imperium Romae habuerat, dignum moribus, factisq. ſuis exitum uitae uenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario eodem modo ſupplicium ſumptum eſt.

Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam & ipſe adduxerat, & Manlius habuerat, duas legiones inſtituit, cohortes pro numero militum complet: deinde, ut quiſq. uoluntarius, aut ex ſocijs in caſtra uenerat, aequaliter diſtribuerat; ac breui ſpatio legiones numero hominum expleuerat; cum initio non amplius duob. millib. habuiſſet. ſed ex omni copia circiter pars quarta erat militarib. armis inſtructa: ceteri, ut quemq. caſus armauerat, ſparos, aut lanceas, alij praeacutas ſudes portare. ſed poſtquam Antonius cum exercitu aduentabat; Catilina per montes iter facere; modo ad urbem, mo

do in Galliam uersus castra mouere: hostib. occasionem pugnandi non dare. sperabat, propediem magnas copias se habiturum, si Romae socij incepta patrauissent: interea seruitia repudiabat, cuius initio ad eum magnae copiae concurrebant, opib. coniurationis fretus, simul alienum suis rationib. existimans, uideri caussam ciuium cum seruis fugitiuis communicasse. sed, postquam in castra nuncius peruenit, Romae coniurationem patefactam, de Lentulo, & Cethego, ceterisque, quos supra memoraui, supplicium sumptum: plerique, quos ad bellum spes rapinarum, aut nouarum rerum studium illexerat, dilabuntur: reliquos Catilina per montes asperos magnis itinerib. in agrum Pistorien sem abducit; eo consilio, uti per tramites occulte profugeret in Galliam transalpinam. At Q. Metellus Celer cum trib. legionib. in agro Piceno praesidebat, ex difficultate rerum eadem illa existimans, quae supra diximus, Catilinam agitare. igitur, ubi iter eius ex perfugis cognouit, castra propere mouit, ac sub ipsis radicib. montium consedit; qua illi descensus erat in Galliam properanti. neq. tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequiorib. expeditos in fugam sequeretur. Sed Catilina, postquam uidet montibus, atq. copijs hostium sese clausum, in urbe res aduersas; neq. fugae, neq. praesidij ullam spem; optimum factu ratus, in tali re fortunam belli tentare, statuit

cum Antonio quampriimum confligere:itaque, concione aduocata,huiuſcemodi orationem habuit. Compertum ego habeo, milites, uerba uirtutem non addere,neq.ex ignauo ſtrenuum, neq. fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. quanta cuiuſq. animo audacia natura, aut morib. ineſt, tanta in bello patere ſolet. quem neq. gloria, neq. pericula excitant, nequidquam hortere. timor animi aurib. officit. ſed ego uos, quo pauca monerem, aduocaui, ſimul uti cauſſam mei conſilij aperirem. Scitis equidem, milites, ſocordia, atq. ignauia Lentuli quantum ipſi, nobisq. cladis attulerit; quoq.modo,dum ex urbe praeſidia opperior,in Galliam proficiſci nequiuerim. nunc uero,quo in loco res noſtrae ſint,iuxta mecum omnes intelligitis. exercitus hoſtium duo, unus ab urbe,alter a Gallia,obſtant:diutius in his locis eſſe, ſi maxime animus ferat, frumenti, atq. aliarum rerum egeſtas prohibet: quocumq. ire placet,ferro iter aperiendum eſt. Quapropter uos moneo,uti forti,atq. parato animo ſitis;&,cum proelium inibitis, memineritis, uos diuitias, decus, gloriam, praeterea libertatem, atq. patriam in dextris ueſtris portare. ſi uincimus; omnia nobis tuta erunt: commeatus abunde, municipia, atq. coloniae patebunt. ſin metu ceſſerimus;eadem illa aduerſa fient: neq. locus, neq. amicus quiſquam teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non eadem

nobis,

nobis,& illis neceſsitudo impendet. nos pro patria,pro libertate,pro uita certamus: illis ſuperuacaneum eſt pro potentia paucorum pugnare. quo audacius aggredimini, memores priſtinae uirtutis. Licuit nobis cum ſumma turpitudine in exſilio aetatem agere. potuiſtis non nulli Romae, amiſsis bonis, alienas opes exſpectare. quia illa foeda, atq. intoleranda uiris uidebantur,haec ſequi decreuiſtis.ſi haec relinquere uultis;audacia opus eſt.nemo,niſi uictor, pace bellum mutauit.nam,in fuga ſalutem ſperare, cum arma,queis corpus tegitur, ab hoſtibus auerteris; ea uero dementia eſt. ſemper in proelio ijs maximum eſt periculum, qui maxime timent: audacia pro muro habetur.Cum uos conſidero, milites; & cum facta ueſtra aeſtimo: magna me ſpes uictoriae tenet.animus,aetas, uirtus ueſtra me hortantur: praeterea, neceſsitudo, quae etiam timidos fortes facit. nam, multitudo hoſtium ne circumuenire queat, prohibent anguſtiae loci. quod ſi uirtuti ueſtrae fortuna inuiderit: cauete, ne inulti animam amittatis, neu capti potius, ſicuti pecora, trucidemini, quam, uirorum more pugnantes, cruentam, atq. luctuoſam uictoriam hoſtib. relinquatis. Haec ubi dixit; paullulum commoratus, ſigna canere iubet, atq. inſtructos ordines in locum aequum deducit: dein, remotis omnium equis, quo militibus, exaequato periculo, animus amplior eſſet, ipſe pedes exercitum pro

loco, atq. copijs inſtruit. nam, uti planities erat inter ſiniſtros montes,& ab dextera rupe aſpera, octo cohortes in fronte conſtituit; reliqua ſigna in ſubſidijs artius collocat. ab his centuriones omnes lectos, & euocatos, praeterea ex gregarijs militib. optimum quemq. armatum in primam aciem ſubducit: C. Manlium in dextra, Faeſulanum quendam in ſiniſtra parte curare iubet: ipſe cum liberis, & colonis propter Aquilam adſiſtit;quam bello Cymbrico C. Marius in exercitu habuiſſe dicebatur. At ex altera parte C. Antonius, pedib. aeger, quod proelio adeſſe nequibat,M. Petreio legato exercitum permittit. ille cohortes ueteranas, quas tumulti cauſſa conſcripſerat, in fronte, poſt eas ceterum exercitum in ſubſidijs locat. ipſe equo circuens, unumquemq. nominans, appellat, hortatur, rogat, ut meminerint, ſe contra latrones inermes, pro patria, pro liberis, pro aris, atq. focis ſuis certare. homo militaris, quod amplius annos xxx tribunus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor,cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosq. ipſos, factaq. eorum fortia nouerat; ea commemorando, militum animos accendebat. ſed,ubi, omnib.reb. exploratis, Petreius tuba ſignum dat; cohortes paullatim incedere iubet; idem facit hoſtium exercitus. Poſtquam eo uentum eſt, unde a ferentarijs proelium committi poſſet; maximo clamore, infeſtis ſignis concurrunt: pila omittunt;

omittunt;res gladijs geritur. ueterani,priſtinae uirtutis memores,comminus acriter inſtare:illi haud timidi reſiſtunt: maxima ui certatur.interea Catilina cum expeditis in prima acie uerſari: laborantibus ſuccurrere: integros pro ſaucijs accerſere: omnia prouidere: multum ipſe pugnare, ſaepe hoſtem ferire: ſtrenui militis, & boni imperatoris officia ſimul exſequebatur. Petreius, ubi uidet Catilinam contra, ac ratus erat, magna ui contendere; cohortem praetoriam in medios hoſtes inducit; eosq. perturbatos, atq. alios alibi reſiſtentes, interficit; deinde utrimq.ex lateribus ceteros aggreditur.Manlius,& Faeſulanus in primis pugnantes cadunt.

Poſtquam fuſas copias, ſeq. cum paucis relictum uidet Catilina; memor generis,atq. priſtinae dignitatis ſuae, in confertiſsimos hoſtes incurrit, ibiq. pugnans coufoditur. Sed,confecto proelio, tum uero cerneres quanta audacia, quantaq.animi uis fuiſſet in exercitu Catilinae. nam fere, quem quiſq. pugnando uiuus locum ceperat, eum, amiſſa anima, corpore tegebat. pauci autem, quos medios cohors praetoria diſiecerat, paullo diuerſius, ſed omnes tamen aduerſis uulneribus, conciderant. Catilina uero longe a ſuis inter hoſtium cadauera repertus eſt; paullulum etiam adhuc ſpirans, ferociamq. animi, quam habuerat uiuus, in uultu retinens. Poſtremo, ex omni copia, neq. in proelio, neq. in fuga, quiſquam ciuis in-

genuus captus est. ita cuncti suae hostiumq. uitae iuxta pepercerant. neq. tamen exercitus populi R. laetam, aut incruentam uictoriam adeptus erat. nam strenuissimus quisq. aut occiderat in proelio, aut grauiter uulneratus discesserat. multi autem, qui e castris uisendi, aut spoliandi gratia processerant, uoluentes hostilia cadauera, amicum alij, pars hospitem, aut cognatum reperiebant. fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. ita uarie per omnem exercitum laetitia, maeror, luctus atq. gaudium agitabantur.

C. SALLVSTII. CRISPI DE. BELLO IVGVRTHINO

FALSO queritur de natura sua genus humanum; quod, imbecilla, atq. aeui breuis, forte potius, quam uirtute, regatur. nam, contra reputando, neq. maius aliud, neq. praestabilius inuenias; magisq. naturae industriam hominum, quam uim, aut tempus, deesse. sed dux, atq. imperator uitae mortalium, animus est. qui ubi ad gloriam uirtutis uia grassatur; abunde pollens, potensque, & clarus est, neq. fortunae eget; quippe quae probitatem, industriam, ceterasq. bonas artes neq. dare, neq. eripere cuiquam potest. sin, captus prauis cupidinibus, ad inertiam, & uoluptates corporis pessum datus est, pernicioſa libidine paullisper usus: ubi per socordiam uires, tempus, ingenium defluxere, naturae infirmitas accusatur: suam quippe culpam actores ad negotia transferunt. quod si hominib. bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena, ac nihil profutura, multumq. etiam periculosa, petunt: neq. regerentur magis casibus, quam regerent casus; & eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalib. gloria aeterni fierent. nam, uti genus hominum compositum e corpore, & anima est: ita res cunctae, studiaq. omnia nostra, corporis alia, alia animi naturam

sequun-

ſequuntur. igitur praeclara facies, magnae diuitiae, ad hoc uis corporis, & alia huiuſcemodi omnia breui dilabuntur. at ingenij egregia facinora, ſicuti anima, immortalia ſunt. poſtremo, corporis, & fortunae bonorum, uti initium, ſic finis eſt; omniaq. orta occidunt, & aucta ſeneſcunt. animus incorruptus, aeternus, rector humani generis, agit, atq. habet cuncta, neq. ipſe habetur. quo magis prauitas eorum admiranda eſt, qui, dediti corporis gaudijs, per luxum, atq. ignauiam aetatem agunt; ceterum ingenium, quo neq. melius, neq. amplius aliud in natura mortalium eſt, incultu, atq. ſocordia torpeſcere ſinunt; cum praeſertim tam multae, uariaeq. ſint artes animi, quib. ſumma claritudo paratur. Verum ex his magiſtratus, & imperia, poſtremo omnis cura rerum publicarum, minime mihi hac tempeſtate cupienda uidentur: quoniam neq. uirtuti honos datur; neq. illi, quib. per fraudem ius fuit, utiq. tuti, aut eo magis honeſti ſunt. nam, ui quidem regere patriam, aut parentes, quamquam & poſsis, & delicta corrigas, tamen importunum eſt; cum praeſertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, aliaq. hoſtilia portendant. fruſtra autem niti, neq. aliud, ſe fatigando, niſi odium, quaerere, extremae dementiae eſt: niſi forte quem inhoneſta, & pernicioſa libido tenet, potentiae paucorum decus, atq. libertatem ſuam gratificari. Ceterum ex ijs negotijs, quae ingenio

exer-

exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum: cuius de uirtute quia multi dixere, praetereundum puto; simul, ne per insolentiam quis existimet memet studium meum laudando extollere. Atq. ego credo fore, qui, quia decreui procul a rep. actatem agere, tanto, tamq. utili labori meo nomen Inertiae imponant: certe, quib. maxima industria uidetur, salutare plebem, & conuiuijs gratiam quaerere. qui si reputauerint, & quib. ego temporib. magistratum adeptus sum; & quales uiri idem assequi nequiuerint; & postea, quae genera hominum in senatum peruenerint: profecto existimabunt, me magis merito, quam ignauia, iudicium animi mei mutauisse; maiusq. commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotijs, reip. uenturum. nam saepe audiui, Q. Maximum, P. Scipionem, praeterea ciuitatis nostrae praeclaros uiros solitos ita dicere: cum maiorum imagines intuerentur, uehementissime sibi animum ad uirtutem accendi: scilicet non ceram illam, neq. figuram tantam uim in sese habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregijs uiris in pectore crescere, neq. prius sedari, quam uirtus eorum famam, atq. gloriam adaequauerit. At contra, quis est omnium, his moribus, quin diuitijs, & sumptibus, non probitate, neq. industria, cum maioribus suis contendat? etiam homines noui, qui antea per uirtutem soliti erant nobilitatem anteuenire, furtim

tim, & per latrocinia potius, quam bonis artibus, ad imperia, & honores nituntur. proinde quasi praetura, & consulatus, atq. alia omnia huiuscemodi per se ipsa clara, & magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, uirtus est. Verum ego liberius, altiusq. processi, dum me ciuitatis morum piget, taedetque. nunc ad inceptum redeo. Bellum scripturus sum, quod populus R. cum Iugurtha rege Numidarum gesit: primum, quia magnum, & atrox, uariaq. uictoria fuit: deinde, quia tum primum superbiae nobilitatis obuiam itum est. quae contentio diuina & humana cuncta permiscuit; eoq. uaecordiae processit, ut studijs ciuilib. bellum, atq. uastitas Italiae finem faceret. Sed, prius quam huiuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam; quo, ad cognoscendum, omnia illustria magis magisq. in aperto sint. Bello Punico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal, post magnitudinem nominis Romani, Italiae opes maxime attriuerat; Massanisa, rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Scipione, cui postea cognomen Africano ex uirtute fuit, multa & praeclara rei militaris facinora fecerat: ob quae, uictis Carthaginiensibus, & capto Syphace, cuius in Africa magnum, atq. late imperium ualuit; populus R. quascumq. urbes, & agros manu ceperat, regi dono dedit. igitur amicitia Massanisae bona, atq. honesta nobis permansit; sed imperij,

uitaeq.

uitaeq.eius finis idem fuit.deindeMicipsa filius regnum solus obtinuit,Manastabale,& Gulussa fratrib. morbo absumptis. is Adherbalem, & Hiempsalem ex sese genuit;Iugurthamq.Manastabalis fratris filium, quem Massanisa,quia ortus ex concubina erat, priuatum reliquerat, eodem cultu, quo liberos suos, domi habuit. Qui ubi primum adoleuit, pollens uiribus,decora facie, sed multo maxime ingenio ualidus, non se luxu,neq. inertia corrumpendum dedit,sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalib. certare: &, cum omnes gloria anteiret, omnib. tamen carus esse: ad hoc,pleraq. tempora in uenando agere: leonem,atq.alias feras,primus', aut in primis ferire: plurimum facere, & minimum ipse de se loqui. Quib. reb. Micipsa tametsi initio lactus fuerat, existimans Iugurthae uirtutem regno suo gloriae fore: tamen postquam hominem adolescentem,exacta sua aetate,& paruis liberis, magis magisq. crescere intelligit,uehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo uoluebat. terrebat eum natura mortalium,auida imperij, & praeceps ad explendam animi cupidinem; praeterea, opportunitas suaeq. & liberorum aetatis, quae etiam mediocres uiros spe praedae transuersos agit; ad hoc, studia Numidarum in Iugurtham accensa;ex quibus,si talem uirum dolis interfeciisset, ne qua seditio, aut bellum oriretur, anxius erat. His difficultatib. circum-

cumuentus, ubi uidet neq. per uim, neq. insidijs opprimi posse hominem tam acceptum popularibus;quod erat Iugurtha manu promptus, & appetens gloriae militaris; statuit eum obiectare periculis, & eo modo fortunam tentare. igitur bello Numantino Micipsa, cum populo R. equitum,atq. peditum auxilia mitteret;sperans uel ostentando uirtutem, uel hostium saeuitia facile eum occasurum, praefecit Numidis,quos in Hispaniam mittebat. sed ea res longe aliter, ac ratus erat, euenit. nam Iugurtha, ut erat impigro,atq. acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, & morem hostium cognouit;multo labore,multaq. cura, praeterea modestissime parendo, & saepe obuiam eundo periculis, in tantam claritudinem breui peruenerat,ut nostris uehementer carus,Numantinis maximo terrrori esset.ac sane,quod difficillimum in primis est, & proelio strenuus erat, & bonus consilio: quorum alterum ex prouidentia timorem, alterum ex audacia temeritatem plerumq.afferre solet.Igitur imperator omnes fere res asperas per Iugurtham agere, in amicis habere, magis magisq. eum in dies amplecti, quippe cuius neq. consilium,neq. inceptum ullum frustra erat.Huc accedebat munificentia animi, ingenij sollertia: quib. reb. sibi multos ex Romanis familiari amicitia coniunxerat. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures noui, atq. nobiles,

quib.

quib. diuitiae bono, honestoq. potiores erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis, quam honesti: qui Iugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore uti solus imperio Numidiae potiretur: in ipso maximam uirtutem, Romae omnia uenalia esse. Sed postquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia, & ipse reuerti domum decreuit: donatum, atq. laudatum magnifice pro concione Iugurtham in praetorium adduxit; ibiq. secreto monuit, ut potius publice, quam priuatim, amicitiam populi R. coleret; neu quib. largiri insuesceret: periculose a paucis emi, quod multorum esset: si permanere uellet in suis artibus, ultro illi & gloriam, & regnum uenturum: sin properantius pergeret, pecuniam, & ipsum praecipitem casurum. Sic locutus, cum litteris eum, quas Micipsae redderet, dimisit. earum sententia haec erat. Iugurthae tui bello Numantino longe maxima uirtus fuit. quam rem certo scio tibi gaudio esse. nobis ob merita sua carus est: ut idem senatui, populoq. R. sit, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor. en habes uirum dignum te, atq. auo suo Massanisa. Igitur rex, ubi ea quae fama acceperat, ex litteris imperatoris ita esse cognouit, tum uirtute, cum gratia uiri permotus, flexit animum suum; & Iugurtham beneficijs uincere aggressus est; statimq. cum adoptauit, & testamento pariter cum filijs heredem

dem instituit. Sed ipse paucos post annos, morbo, atq. aetate confectus, cum sibi finem uitae ad esse intelligeret, coram amicis, & cognatis, itemq. Adherbale, & Hiempsale filijs, huiuscemodi uerba cum Iugurtha fertur habuisse. Paruum ego te, Iugurtha, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi, existimans non minus me tibi, quam liberis, si genuissem, ob beneficia carum fore. neq. ea res falsum me habuit. nam, ut alia magna, & egregia tua facinora omittam, nouissime rediens Numantia, meq. regnumq. meum gloria decorasti; tuaq. uirtute nobis Romanos ex amicis amicissimos feciſti: in Hispania nomen familiae nostrae renouasti: postremo, quod difficillimum inter mortales est, gloria inuidiam uicisti. Nunc, quoniam mihi natura finem uitae facit, per hanc dextram, per regni fidem moneo, obtestorq. uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas; neu malis alienos adiungere, quam sanguine coniunctos retinere. Nō exercitus, neq. thesauri praesidia regni sunt, uerum amici: quos neq. armis cogere, neq. auro parare queas: officio, & fide pariuntur. quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris? equidē ego regnum uobis trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbecillum. nam concordia paruae res crescunt, discordia maximae dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, qui aetate, & sapiētia

prior

prior es,ne aliter quid eueniat,prouidere decet. nam in omni certamine,qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam,tamen,quia plus potest, facere uidetur. Vos autem,Adherbal, & Hiempsal,colite,obseruate talem hunc uirum: imitamini uirtutem: & enitimini, ne ego meliores liberos sumpsisse uidear,quam genuisse. Ad ea Iugurtha,tametsi regem ficta locutum intelligebat, & ipse longe aliter animo agitabat: tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis post dieb. moritur. Postquam illi more regio iusta magnifice fecerant, reguli in unum conuenere,ut inter se de cunctis negotijs disceptarent. Sed Hiempsal, qui minimus ex illis erat,natura ferox, etiam ante ignobilitatem Iugurthae,quia materno genere impar erat, despiciens, dextra Adherbalem adsedit: ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret. dein tamen, ut aetati concederet, fatigatus a fratre, uix in alteram partem transductus est. Ibi cum multa de administrando imperio dissererent, Iugurtha inter alias res iacit, oportere quinquennij consulta, & decreta omnia rescindi. nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo ualuisse. Tum idem Hiempsal placere sibi respondit: nam ipsum illum trib. his proximis annis adoptione in regnum peruenisse. quod uerbum in pectus Iugurthae altius, quam quisquam ratus, descendit. itaq. ex eo tempore ira, &

metu anxius,moliri,parare,atq. ea modo in animo habere, quib. per dolum Hiempſal caperetur.quae ubi tardius procedunt,neq. lenitur animus ferox: ſtatuit quouis modo inceptum perficere. Primo conuentu, quem ab regulis factum ſupra memoraui, propter diſſenſionem placuerat diuidi theſauros, finesq. imperij ſingulis conſtitui. itaq. tempus ad utramq. rem decernitur, ſed maturius ad pecuniam diſtribuendam. reguli interea in loca propinqua theſauris,alius alio conceſſere. Sed Hiempſal in opido Thirmida forte eius utebatur domo, qui proximus lictor Iugurthae,carus, acceptusq. ei ſemper fuerat: quem ille caſu miniſtrum oblatum promiſsis onerat, impellitque, uti tamquam ſuam domum uiſens eat: portarum claues adulterinas paret: nam uerae ad Hiempſalem referebantur:ceterum,ubi res poſtularet,ſe ipſum cum magna uenturum manu. Numida mandata breui conficit:atque, uti doctus erat, noctu Iugurthae milites introducit: qui poſtquam in aedes irrupere, diuerſi regem quaerere:dormientes alios, alios occurſantes interfice re:ſcrutari loca abdita:clauſa effringere: ſtrepitu & tumultu omnia miſcere: cum interim Hiempſal reperitur,occultans ſe in tugurio mulieris ancillae, quo initio pauidus, & ignarus loci profugerat.Numidae caput eius,uti iuſsi erant, ad Iugurtham referunt. Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam breui diuulgatur:

Adher-

Adherbalem,omnesque,qui sub Micipsae imperio fuerant, metus inuadit. In duas partes discedunt Numidae: plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores. Igitur Iugurtha quam maximas potest copias armat: urbes partim ui, alias uoluntate imperio suo adiungit: omni Numidiae imperare parat. At Adherbal,rametsi Romam legatos miserat, qui senatum docerent de caede fratris, & fortunis suis; tamen, fretus multitudine militum,parabat armis contendere. sed,ubi res ad certamen uenit, uictus ex proelio profugit in prouinciam, ac deinc Romam contendit. Tum Iugurtha, patratis consilijs, postquam omni Numidia potiebatur, in otio facinus suum cum animo reputans, timere populum R. neq. aduersus iram eius usquam, nisi in auaritia nobilitatis, & pecunia sua,spem habere.itaque,paucis diebus, cum argento, & auro multo legatos Romam mittit: quos praecipit, uti primum ueteres amicos muneribus expleant:deinde nouos acquirant:postremo, quemcumq. possint largiendo parare, ne cunctentur. Sed, ubi Romam legati uenere, & ex praecepto regis hospitibus,alijs que,quorum ea tempestate in senatu auctoritas pollebat, magna munera misere: tanta commutatio incessit, uti ex maxima inuidia in gratiam, & fauorem nobilitatis Iugurtha ueniret: quorum pars spe, alij praemio inducti, singulos ex senatu ambiundo nitebantur, ne grauius in eum

consuleretur. igitur, ubi legatis satis confidunt, die constituto senatus utrisq. datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus. Patres conscripti, Micipsa pater meus moriens mihi praecepit, uti regni Numidiae tantummodo procurationem existimarem meam; ceterum ius, & imperium penes uos esse: simul eniterer domi militiaeq. quammaximo usui esse populo R. uos mihi cognatorum, uos affinium loco ducerem: si ea feciissem, in uestra amicitia exercitum, diuitias, monumenta regni, me habiturum. Quae praecepta patris cum agitarem; Iugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus, contempto imperio uestro, Massanisae me nepotem, etiam ab stirpe socium, atq. amicum populi R. regno, fortunisq. omnib. expulit. Atq. ego, P. C. quoniam eo miseriarum uentu rus eram, uellem, potius ob mea, quam ob maiorum meorum, beneficia me posse a uobis auxilium petere, ac maxime deberi mihi beneficia a populo R. quib. non egerem; secundum ea, si desideranda erant, uti debitis uterer. sed, quoniam parum tuta per se ipsa probitas est; neq. mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret: ad uos confugi, P. C. quibus, quod mihi miserrimum est, cogor prius oneri, quam usui, esse. Ceteri reges, aut bello uicti in amicitiam a uobis recepti sunt, aut in suis dubijs reb. societatem uestram adpetiuerunt. familia nostra cum populo R. bello Carthaginiensi amicitiam insti

tuit:

tuit:quo tempore magis fides eius, quam fortuna, pendenda erat. quorum progeniem uos, P. C. nolite pati me nepotem Maſſaniſae fruſtra a uobis auxilium petere. ſi ad impetrandum nihil cauſſae haberem, praeter miſerandam fortunam; quod paullo ante rex genere, fama, atq. copijs potens, nunc, deformatus aerumnis, inops, alienas opes exſpecto: tamen erat maieſtatis populi R. prohibere iniuriam; neq. pati, cuiuſquam regnum per ſcelus creſcere. uerum ego ijs finib. eiectus ſum, quos maiorib. meis populus R. dedit: unde pater, & auus meus una uobiſcum expulere Syphacem, & Carthaginienſes. Veſtra beneficia mihi erepta ſunt, P. C. uos in mea iniuria deſpecti eſtis. Eheu me miſerum. huccine, Micipſa pater, beneficia tua euaſere, ut, quem tu parem cum liberis tuis, regniq. participem feciſti, is potiſsimum ſtirpis tuae exſtinctor ſit? Numquam ne ergo familia noſtra quieta erit? ſemper ne in ſanguine, ferro, fuga, uerſabimur? dum Carthaginienſes incolumes fuere, iure omnia ſaeua patiebamur. hoſtis ab latere: uos amici procul: ſpes omnis in armis erat. poſtquam illa peſtis ex Africa eiecta eſt, laeti pacem agitabamus: quippe, quibus nullus hoſtis erat, niſi forte quem uos iuſsiſſetis. Ecce autem ex improuiſo Iugurtha, intoleranda audacia, ſcelere, atq. ſuperbia ſeſe efferens, fratre meo, atq. eodem propinquo ſuo, interfecto, primum regnum eius ſceleris ſui praedã fecit: poſt,

ubi me ijſdem dolis nequit capere, nihil minus, quam uim, aut bellum exſpectantem, in imperio ueſtro, ſicuti uidetis, extorrem patria, domo, inopem, & coopertum miſerijs effecit, ut ubiuis tutius, quam in meo regno, eſſem. Ego ſic exiſtimabam, P. C. uti praedicantem audieram patrem meum; qui ueſtram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem ſuſcipere, ceterũ ex omnib. maxime tutos eſſe. quod in familia noſtra fuit, praeſtitit, uti in omnib. bellis adeſſet uobis: nos uti per otium tuti ſimus, in manu ueſtra eſt, P. C. Pater nos duos fratres reliquit: tertium Iugurtham beneficijs ſuis ratus eſt nobis coniunctum fore. alter eorum necatus: alter ipſe ego manus impias uix effugi. Quid agam? aut quo potiſsimum infelix accedã? generis praeſidia omnia exſtincta ſunt. pater, uti neceſſe erat, naturae conceſsit: fratri, quem minime decuit, propinquus per ſcelus uitam eripuit: affines, amicos, propinquos ceteros meos, alium alia clades oppreſsit: capti ab Iugurtha, pars in crucem acti, pars beſtijs obiecti ſunt: pauci, quib. relicta eſt anima, clauſi in tenebris cum maerore, & luctu, morte grauiorem uitam exigunt. Si omnia, quae aut amiſi, aut ex neceſſarijs aduerſa facta ſunt, incolumia manerent: tamen, ſi quid ex improuiſo mali accidiſſet, uos implorarem, P. C. quib. pro magnitudine imperij ius & iniurias omnes curae eſſe decet. nunc uero, exſul patria, domo, ſolus, atq. omnium honeſtarum egens rerũ, quo

accedam? aut quos appellem? nationes ne, an reges, qui omnes familiae nostrae ob uestram amicitiam infesti sunt? an quoquam mihi adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monumenta plurima sint? an quisquam nostri misereri potest, qui aliquando uobis hostis fuit? Postremo Massanisa nos ita instituit, P.C. ne quem colerémus, nisi populum R. ne societates, ne foedera noua acciperemus: abunde magna praesidia nobis in uestra amicitia fore: si huic imperio fortuna mutaretur, una occidendum nobis esse. uirtute, ac dijs uolentibus, magni, & opulenti estis, omnia secunda, & obedientia sunt: quo facilius sociorum iniurias curare licet. tantum illud uereor, ne quos priuata amicitia Iugurthae, parum cognita, trāsuersos agat: quos ego audio summa ope niti, ambire, fatigare uos singulos, ne quid de absente, incognita caussa, statuatis: fingere me uerba, & fugā simulare, cui licuerit in regno manere. quod utinam illum, cuius impio facinore in has miserias proiectus sum, eadē haec simulātem uideam: & aliquādo aut apud uos, aut apud deos immortales rer. humanar. cura oriatur: ut ille, qui nunc scelerib. suis ferox, atq. praeclarus est, omnib. malis excruciatus, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumq. miseriarum graues poenas reddat. Iamiam frater animo meo carissime, quāquam tibi immaturo, &, unde minime decuit, uita erepta est, tamē laetandū magis, quā dolendū puto casum tuum.

non enim regnum,ſed fugam,exſilium, egeſtatem,& omnes has,quae me premunt, aerumnas cum anima ſimul amiſiſti. At ego infelix, in tanta mala praecipitatus,pulſus ex patrio regno,rerum humanarum ſpectaculum praebeo; incertus quid agam, tuas ne iniurias perſequar, ipſe auxilij egens; an regno conſulam, cuius uitae, necisq. poteſtas ex alienis opib. pendet. Vtinam,emori,fortunis meis honeſtus exitus eſſet: ne uiuere contemptus uiderer, ſi defeſſus malis iniuriae conceſsiſſem. Nunc,quoniam neq. uiuere libet, neq. mori licet ſine dedecore, P. C. per uos, per liberos, atq. parentes ueſtros, per maieſtatem populi R. ſubuenite mihi miſero: ite obuiam iniuriae: nolite pati,regnum Numidiae,quod ueſtrum eſt,per ſcelus, & ſanguinem familiae noſtrae tabeſcere. Poſtquam rex loquẽdi finem fecit, legati Iugurthae largitione magis,quam cauſſa,freti,paucis reſpondent:Hiempſalem,ob ſaeuitiam ſuam, ab Numidis interfectum: Adherbalem, ultro bellum inferentem, poſtquam ſuperatus ſit,queri, quod iniuriam facere nequiſſet:Iugurtham abſenatu petere,ne ſe alium putarent, ac Numantiae cognitus eſſet; neu uerba inimici ante facta ſua ponerent. Deinde utriq. curia egrediuntur. ſenatus ſtatim cõſulitur:fautoreś legatorum,praeterea magna pars gratia deprauata, Adherbalis dicta contemnere:Iugurthae uirtutẽ laudib. extollere;gratia,uoce,deniq. omnib. modis,pro alieno ſcelere,& flagitio,

gitio,ſua quaſi pro gloria,nitebantur.At contra pauci,quib.bonum & aequum diuitijs carius erat,ſubueniũdum Adherbali,& Hiempſalis mortem ſeuere uindicandam cenſebant. ſed ex omnib.maximeAemilius Scaurus,homo nobilis, impiger,factioſus,auidus potentiae,honoris,diuitiarum, ceterum uitia ſua callide occultans. is poſtquam uidet regis largitionem famoſam, impudentemque, ueritus, quod in tali re ſolet,ne polluta licentia inuidiam accenderet, animum a conſueta libidine continuit.uicit tamen in ſenatu parsilla,quae uero pretium,aut gratiam anteferebat.decretum fit, uti decem legati regnũ, quod Micipſa obtinuerat, inter Iugurtham, & Adherbalem diuiderent. cuius legationis princeps fuitL.Opimius,homo clarus,& tum in ſenatu potens, quia conſul,C.Graccho,& M. Fuluio Flacco interfectis, acerrime uictoriam nobilitatis in plebem exercuerat.eum Iugurtha, tametſi Romae in amicis habuerat, tamen accuratiſsime accepit:dando,& pollicẽdo multa perfecit, uti famae,fidei,poſtremo omnib.ſuis reb. commodum regis anteferret. reliquos legatos eadem uia aggreſſus, plerosq. capit: paucis carior fides,quam pecunia,fuit.in diuiſione,quae pars Numidiae Mauritaniam attingit, agro uirisq. opulentior, Iugurthae traditur:illam alteram, ſpecie, quam uſu,potiorem, quae portuoſior, & aedificijs magis exornata erat, Adherbal poſſedit. Res poſtulare uidetur, Africae ſitum paucis

expo-

exponere, & eas gentes, quibuscum nobis bellú, aut amicitia fuit, attingere. Sed, quae loca, & nationes ob calorem, aut asperitatem, item solitudines minus frequentata sunt, de ijs haud facile compertum narrauerim: cetera quampauciſsimis absoluam. In diuisione orbis terrae pleriq. in parte tertia Africam posuere: pauci, tantummodo Asiam, & Europam esse; sed Africam in Europa. ea fines habet ab Occidente, fretum nostri maris, & Oceani; ab ortu solis decliuem latitudinem: quem locum Catabathmon incolae appellant. mare saeuum, importuosum: ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus: caelo, terraq. paenuria aquarum: genus hominum, salubri corpore, uelox, patiens laborum: pleroſq. senectus dissoluit, nisi qui ferro, aut bestijs interiere. nã morb. haud saepe quemquam superat. Ad hoc, malefici generis plurima animalia. Sed, qui mortales initio Africam habuerint, quiq. postea accesserint, aut quo modo inter se permixti sint: quamquam ab ea fama, quae plerosq. obtinet, diuersum est; tamen, uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est, utiq. rem sese habere cultores eius terrae putant, quampauciſsimis dicam: ceterum fides eius rei penes auctores erit. Africam initio habuere Getuli, & Libyes, asperi, incultique; quibus cib. erat caro ferina, atq. humi pabulum, uti pecoribus. hi neq. moribus, neq. lege, aut imperio cuiusquam

rege-

regebantur:uagi,palantes,quas nox coegerat,ſe des habebant.Sed,poſtquam in Hiſpania Hercu leș,ſicuti Afri putant,interijt:exercitus eius cõ-poſitus ex uarijs gentibus, amiſſo duce, ac paſ-ſim multis ſibi imperium petentibus, breui dila bitur.ex eo numero Medi,Perſae,& Armenij,na uib.in Africam tranſuecti,proximos noſtro ma ri locos occupauere: ſed Perſae intra Oceanum magis : hiq. alueos nauium inuerſos pro tugu-rijs habuere : quia neq. materia in agris, neq. ab Hiſpanis emendi, aut mutandi copia erat. mare magnum , & ignara lingua commercia prohibebant. hi paullatim per connubia Getu-los ſecum miſcuere. &, quia ſaepe tentantes a-gros,alia deinde,atq.alia loca petiuerant,ſemet ipſi Numidas appellauere. Ceterum adhuc ae-dificia Numidarum agreſtium,quae Mapalia il li uocant, oblonga,incuruis lateribus tecta,qua ſi nauium carinae ſunt.Medis autem , & Arme-nijs acceſſere Libyes. nam hi propius mare Afri cum agitabant: Getuli ſub ſole magis,haud pro cul ab ardoribus: hiq. mature opida habuere. nam freto diuiſi ab Hiſpania,mutare res inter ſe inſtituerant.nomẽ eorum paullatim Libyes cor rupere,barbara lingua Mauros pro Medis appel lantes.Sed res Perſarum breui adoleuit;ac poſt-ea,Numidiae nomine, propter multitudinem a parentib.digreſsi, poſſedere ea loca,quae proxi me Carthaginẽ Numidia appellatur. Deinde u-trique,alteris freti,finitimos armis,aut metu ſub

impe-

imperium ſuum coegere;nomen,gloriamq.ſibi addidere;magis hi,qui ad noſtrum mare proceſ ſerant:quia Libyes,quam Getuli, minus bellico ſi: deniq.Africae pars inferior,pleraq.ab Numi dis poſſeſſa eſt: uicti omnes in gentem, nomenq. imperantium conceſſere. Poſtea Phoeni ces, alij multitudinis domi minuendae gratia, pars imperij cupidine ſollicitata plebe, & alijs nouarum rerum auidis, Hipponem, Adrumetum,Leptim,aliasq.urbes,in ora maritima condidere: haeq. breui multum auctae, pars originib.ſuis praeſidio,aliae decori fuere.nã de Carthagine ſilere melius puto,quam parum dicere: quoniam alio properare tempus monet. Igitur ad Catabathmon,qui locus Aegyptum ab Africa diuidit,ſecundo mari prima Cyrene eſt,colonia Thereon,ac deinceps duae Syrtes, interq.eas Leptis:deinde Arae Philenon: quem locum Aegyptum uerſus finem imperij habuere Carthaginiẽſes:poſt aliae Punicae urbes.cetera loca uſq. ad Mauritaniam Numidae tenent.proxime Hiſpaniam Mauri ſunt. ſuper Numidiam Getulos accepimus,partim in tugurijs,alios incultius uagos agitare:poſt eos Aethiopas eſſe:dein loca exuſta ſolis ardoribus. Igitur bello Iugurthino pleraq. ex Punicis opida,& fines Carthaginienſium,quos nouiſsime habuerant,populus R.per magiſtratus adminiſtrabat: Getulorum magna pars,& Numidae uſq.ad flumen Mulucham ſub Iugurtha erant: Mauris omnib.rex Bocchus im

perita-

peritabat,praeter nomen,cetera ignarus populi R.itemq.nobis neq. bello,neq.pace antea cognitus. De Africa, & eius incolis, ad neceſsitudinem rei ſatis dictum. Poſtquam,diuiſo regno, legati Africa deceſſere;& Iugurtha contra timorem animi praemia ſceleris adeptum ſeſe uidet; certum eſſe ratus,quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romae uenalia eſſe; ſimul & illorum pollicitationib. accenſus, quos paullo ante munerib. expleuerat; in regnum Adherbalis animum intendit. ipſe acer, bellicoſus: at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido, ingenio, opportunus iniuriae, metuens magis, quam mętuendus. Igitur ex improuiſo fines eius cum magna manu inuadit: multos mortales cum pecore, atq. alia praeda, capit: aedificia incendit; pleraq.loca hoſtiliter cum equitatu accedit: deinde cum omni multitudine in regnum ſuum conuertit; exiſtimans, dolore permotum Adherbalem iniurias ſuas manu uindicaturum, eamq. rem belli cauſſam fore. at ille, quod neq.ſe parem armis exiſtimabat, & amicitia populi R. magis,quam Numidis,fretus erat;legatos ad Iugurtham de iniurijs queſtum miſit: qui tametſi contumelioſa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decreuit, quam bellum ſumere: quia tentatum antea ſecus ceſſerat. Neq. eo magis cupido Iugurthae minuebatur: quippe qui totum eius regnum animo iam inuaſerat. itaq. non, uti antea, cum

praeda-

praedatoria manu,sed magno exercitu comparato,bellum gerere coepit,& aperte totius Numidiae imperium petere. ceterum, qua pergebat,urbes,agros uastare,praedas agere; suis animum,hostib. terrorem augere. Adherbal, ubi intelligit eo processum, uti regnum aut relinquendum, aut retinendum armis esset; necessario copias parat, & Iugurthae obuius procedit. Interim haud longe a mari prope Cirtham opidum utriusq. exercitus consedit: &, quia diei extremum erat,proelium non inceptum.sed ubi plerumq.noctis processit,obscuro etiam tum lumine;milites Iugurthini,signo dato, castra hostium inuadunt;semisomnos partim,alios arma sumentes fugant, funduntque. Adherbal cum paucis equitib. Cirtham profugit: &,ni multitudo togatorum fuisset, quae Numidas insequentes moenib. prohibuit, uno die inter duos reges coeptum,atq. patratum bellum foret.Igitur Iugurtha opidum circumsedit: uineis, turribusque, & machinis omnium generum expugnare aggreditur: maxime festinans tempus legatorum antecapere, quos ante proelium factum ab Adherbale Romam missos audiuerat. Sed, postquam senatus de bello eorum accepit; tres adolescentes in Africam legantur; qui ambos reges adeant; senatus, populiq. R. uerbis nuncient,uelle, & censere eos ab armis discedere: ita seque, illisq. dignum esse. Legati in Africam maturantes ueniunt, eo magis, quod

Romae,

Romae,dum proficiſci parant,de proelio facto, & oppugnatione Cirthae,audiebatur. ſed is rumor clemens erat. Quorum Iugurtha accepta oratione,reſpondit: ſibi neq.maius quidquam, neq. carius auctoritate ſenatus eſſe: ab adoleſcentia ita ſe eniſum, ut ab optimo quoq. probaretur:uirtute,non malitia,P.Scipioni,ſummo uiro,placuiſſe:ob eaſdem artes a Micipſa,non paenuria liberorum,in regnum adoptatum eſſe: ceterum, quo plura bene, atq. ſtrenue feciſſet, eo animum ſuum iniuriam minus tolerare: Adherbalem dolis uitae ſuae inſidiatum: quod ubi comperiſſet, eius ſceleri obuiam iſſe: populum R. neq.recte,neq. pro bono facturum,ſi ab iure gentium ſeſe prohibuerit:poſtremo, de omnib. reb.legatos Romam breui miſſurum. Ita utriq. digrediuntur.Adherbalis copia appellandi non fuit.Iugurtha ubi eos Africa deceſsiſſe ratus eſt, neq. propter naturam loci Cirtham armis expugnare poteſt:uallo,atq.foſſa moenia circumdat: turres exſtruit, easq. praeſidijs firmat: praeterea dies, noctesq. aut per uim,aut dolis tentare: defenſorib. moenium praemia modo, modo formidinem,oſtentare: ſuos hortando ad uirtutem arrigere: prorſus intentus cuncta parare. Adherbal, ubi intelligit omnes ſuas fortunas in extremo ſitas, hoſtem infeſtum, ſpem auxilij nullam, paenuria rerum neceſſariarum bellum trahi non poſſe;ex ijs,qui una Cirtham profugerant, duos maxime impigros delegit: eos,

multa

multa pollicendo, ac miserando casum suum, confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proximum mare, dein Romam pergerent. Numidae paucis dieb. iussa efficiunt: litterae Adherbalis in senatu recitatae: quarum sententia haec fuit. Non mea culpa saepe ad uos oratum mitto P. C. sed uis Iugurthae subigit: quem tanta libido exstinguendi me inuasit, ut neq. uos, neq. deos immortales, in animo habeat; sanguinem meum, quam omnia, malit. itaq. quinctum iam mensem socius & amicus populi R. armis obsessus teneor: neq. mihi Micipsae patris mei beneficia, neq. uestra decreta, auxiliantur: ferro, an fame, acrius urgear, incertus sum. Plura de Iugurtha scribere dehortatur fortuna mea: etiam ante expertus sum, parum fidei miseris esse. nisi tamen intelligo, illum, supra quam ego sum, petere; neq. simul amicitiam uestram, & regnum meum sperare. utrum grauius existimet, nemini occultum est. nam initio occidit Hiempsalem, fratrem meum: deinde patrio regno me expulit. quae sane fuerint nostrae iniuriae, nihil ad uos. uerum nunc regnum uestrum armis tenet: me, quem uos imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet: legatorum uerba quanti fecerit, pericula mea declarant. quid est reliquum, nisi uis uestra, qua moueri possit? nam ego quidem uellem, & haec, quae scribo, & illa, quae antea in senatu questus sum, uana forent potius, quam miseria

mea

mea fidem uerbis faceret. Sed,quoniam eo natus ſum, ut Iugurthae ſcelerum oſtentui eſſem: non iam mortem, neq. aerumnas, tantummodo inimici imperium,& cruciatus corporis deprecor. regno Numidiae, quod ueſtrum eſt, uti libet conſulite: me ex manib. impijs eripite, per uos, per maieſtatem imperij, per amicitiae fidem: ſi ulla apud uos memoria remanet aui mei Maſſaniſae. His litteris recitatis, fuere, qui exercitum in Africam mittendum cenſerent, & quamprimum Adherbali ſubueniendum: de Iugurtha interim uti conſuleretur; quoniam non paruiſſet legatis. ſed ab ijſdem illis fautorib. regis ſumma ope eniſum, ne tale decretum fieret. ita bonum publicum, ut in plerisq. negotijs ſolet, priuata gratia deuictum. legantur tamen in Africam maiores natu nobiles, amplis honorib. uſi, in quos fuit M. Scaurus, de quo ſupra memorauimus, conſularis, & tum in ſenatu princeps. hi, quod in inuidia res erat, ſimul & a Numidis obſecrati, triduo nauim adſcendere: deinde, breui Vticam adpulſi, litteras ad Iugurtham mittunt, quamociſsime ad prouinciam accedat; ſe ad eum ab ſenatu miſsos. Ille, ubi accepit, homines claros, quorum auctoritatem Romae pollere audierat, contra inceptum ſuum ueniſſe; primo commotus metu, atq. libidine, diuerſus agitabatur. timebat iram ſenatus, ni paruiſſet legatis. porro animus cupidine caecus ad inceptum ſcelus rapiebatur. uicit ta-

men in auido ingenio prauum consilium. Igitur, exercitu circumdato, summa ui Cirtham irrumpere nititur; maxime sperans, diducta manu hostium, aut ui, aut dolis sese casum uictoriae inuenturum. quod ubi secus procedit, neque, quod intenderat, efficere potest, ut prius, quam legatos conueniret, Adherbalis potiretur; ne, amplius morando, Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitib. in prouinciam uenit. ac tametsi senatus uerbis graues minae nunciabantur, quod ab oppugnatione non desisteret: multa tamen oratione consumpta, frustra legati discessere. Ea postquam Cirthae audita sunt, Italici, quorum uirtute moenia defensabantur, consisi, deditione facta, propter magnitudinem populi R. inuiolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque, & opidum Iugurthae tradat: tantum ab eo uitam paciscatur: de ceteris senatui curae fore. at ille, tametsi omnia potiora fide Iugurthae rebatur, tamen, quia penes eosdem, si aduorsaretur, cogendi potestas erat, ita, uti censuerant Italici, deditionem facit. Igitur Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: deinde omnes puberes Numidas, atq. negotiatores promiscue, uti quisq. armatus obuius fuerat, interfecit. quod postquam Romae cognitum est, & res in senatu agitari coepta: ijdem illi ministri regis interpellando, ac saepe gratia, interdū iurgijs trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant: & ni C.

Mem-

Memmius, tribunus pl. designatus, uir acer, & infestus potentiae nobilitatis, populum R. edocuisset id agi, uti per paucos factiosos Iugurthae scelus condonaretur: profecto omnis inuidia, prolatandis consultationibus, dilapsa foret: tanta uis gratiae, atq. pecuniae regis erat. sed, ubi senatus delicti conscientia populum timet: lege Sempronia prouinciae futuris consulib. Numidia, atq. Italia decretae sunt: consules declarati P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius: Numidia Calpurnio, Scipioni Italia obuenit: deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur; stipendium, aliaque, quae bello usui forent, decernuntur. At Iugurtha, contra spem nuncio accepto, quippe cui, Romae omnia uenum ire, in animo haeserat; filium, & cum eo duos familiares ad senatum legatos mittit: ijsque, uti illis, quos Hiempsale interfecto miserat, praecepit, omnes mortales pecunia aggrediantur. qui postquam Romam aduentabant; senatus a Bestia consultus est, placeret ne legatos Iugurthae recipi moenibus: ijq. decreuere, ni regnũ, ipsumq. deditũ uenissent, uti dieb. proximis decem Italia decederent. consul Numidis ex senatus decreto nunciari iubet: ita infectis rebus, illi domum discedunt. Interim Calpurnius, parato exercitu, legat sibi homines nobiles, factiosos, quorũ auctoritate, quae deliquisset, munita fore sperabat: in quibus fuit Scaurus, cuius de natura, & habitu supra memorauimus. nam

in consule nostro multae, bonaeq. artes animi, & corporis erant: quas omnes auaritia praepediebat. patiens laborum, acri ingenio, satis prouidens, belli haud ignarus, firmissimus contra pericula, & insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium, atq. inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transuectae. Igitur Calpurnius, initio paratis commeatibus, acriter Numidiam ingressus est; multos mortales, & urbes aliquot pugnando cepit. Sed, ubi Iugurtha pecunia per legatos tentare, bellique, quod administrabat, asperitatem ostendere coepit: animus aeger auaritia facile conuersus est. ceterum socius, & administer omnium consiliorum assumitur Scaurus: qui tametsi a principio, plerisq. ex factione eius corruptis, acerrime regem impugnauerat; tamen magnitudine pecuniae à bono, honesto q. in prauum abstractus est. Sed Iugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, existimans sese interim aliquid Romae pretio, aut gratia effecturum: postea uero quam participē negotij Scaurum accepit; in maximam spem adductus recuperandae pacis, statuit cum eis de omnib. pactionib. praesēs agere. Ceterū interea fidei caussa mittitur a consule Sextius quaestor in opidum Iugurthae Vaccam: cuius rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperauerat: quoniam deditionis mora indutiae agitabātur. Igitur rex, uti constituerat, in castra uenit: ac pauca praesenti consilio locutus

cutus de inuidia ſui facti,atq. uti in deditionem acciperetur; reliqua cum Beſtia,& Scauro ſecreta tranſegit: dein poſtero die,quaſi per ſaturam ſententijs exquiſitis, in deditionem accipitur. ſed, uti pro conſilio imperatum erat, elephanti x x x, pecus, atq. equi multi, non cum paruo argenti pondere, quaeſtori traduntur. Calpurnius Romam ad magiſtratus rogandos proficiſcitur. in Numidia & exercitu noſtro pax agitabatur. Poſtquam res in Africa geſtas, quoq. modo actae forent, fama diuulgauit: Romae per omnes locos, & conuentus,de facto conſulis agitari: apud plebem grauis inuidia: patres ſolliciti erant: probarent ne tantum flagitium, an decretum conſulis ſubuerterent, parum conſtabat.at maxime eos potentia Scauri, quod is auctor, & ſocius Beſtiae ferebatur, a uero, bonoq. impediebat. At C. Memmius, cuius de libertate ingenij, & odio potentiae nobilitatis ſupra diximus, inter dubitationem & moras ſenatus, concionib. populum ad uindicandum hortari: monere, ne remp. ne libertatem ſuam deſererent: multa ſuperba,& crudelia facinora nobilitatis oſtendere: prorſus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed, quoniam ea tempeſtate Romae Memmij facundia clara, pollensq. fuit; decere exiſtimaui unam ex tam multis orationem eius perſcribere. ac potiſsimum eam dicam,quam in concione poſt reditum Beſtiae huiuſcemodi uerbis diſſeruit.

Multa me dehortantur a uobis, Quirites, nisi studium reip. omnia superet; opes factionis, uestra patientia, ius nullum, ac maxime, quod innocentiae plus periculi, quam honoris est. nam illa quidem piget dicere, his annis x x quam ludibrio fueritis superbiae paucorum; quam foede, quamq. multi perierint uestri defensores; ut uobis animus ab ignauia, atq. socordia corruptus sit: qui ne nunc quidem, obnoxij inimicis, exsurgitis; atq. etiam nunc timetis eos, quib. uos decet terrori esse. sed, quamquam haec talia sunt: tamen, obuiam ire factionis potētiae, animus subigit. certe ego libertatem, quae mihi a parente meo tradita est, experiar: uerum, id frustra, an ob rem faciam, in uestra manu situm est, Quirites. Neq. ego uos hortor, quod saepe maiores uestri fecere, uti contra iniurias armati eatis. nihil ui, nihil secessione opus est: necesse est, suo met ipsi more praecipites eant. Occiso Ti. Graccho, quem regnum sibi parare aiebant, in plebem Romanā quaestiones graues habitae sunt. Post C. Gracchi, & M. Fuluij caedem, uestri item ordinis multi mortales in carcere necati sunt. utriusq. cladis non lex, uerum libido eorum finem fecit. Sed sane fuerit regni paratio, plebi sua restituere: quidquid sine sanguine ciuium ulcisci nequitur, iure factum sit. Superiorib. annis taciti indignabamini, aerarium expilari: reges, & populos liberos paucis nobilib. uectigal pendere: penes eosdem & summam

glo-

gloriam, & maximas diuitias esse: tamen, haec talia facinora impune suscepisse, parum habuere: itaq. postremo leges, maiestas uestra, diuina, & humana omnia hostib. tradita sunt. neq. eos, qui ea fecere, pudet, aut paenitet: sed incedunt per ora uestra magnifice, sacerdotia, & consulatus, pars triumphos suos ostentantes: perinde quasi ea honori, non praedae, habeant. Serui, aere parati, iniusta imperia dominorum non perferunt: uos, Quirites, in imperio nati, aequo animo seruitutem toleratis? At, qui sunt hi, qui remp. occupauere? homines sceleratissimi, cruentis manibus, immani auaritia, nocentissimi, ijdemq. superbissimi, quib. fides, decus, pietas, postremo honesta, atq. inhonesta omnia quaestui sunt. Pars eorum, occidisse tribunos pl. alij quaestiones iniustas, pleriq. caedem in uos fecisse, pro munimento habent. ita, quam quisq. pessime fecit, tam maxime tutus est: metum a scelere suo ad ignauiam uestram transtulere. quos omnes eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coegit. sed haec inter bonos amicitia, inter malos factio est. quod si tam uos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt: profecto neq. resp. sicuti nunc, uastaretur; & beneficia uestra penes optimos, non audacissimos, forent. Maiores uestri, parandi iuris, & maiestatis constituendae gratia, bis per secessionem armati Auentinum montem occupauere: uos

pro libertate, quam ab illis accepistis, non ne summa ope nitemini? atq. eo uehementius, quo maius dedecus est, parta amittere, quam omnino non parauisse? Dicet aliquis, quid igitur censes? Vindicandum in eos, qui hosti prodidere remp. non manu, neq. ui; quod magis, uos feciſſe, quam illis accidiſſe, indignum est; uerum quaestionibus, & indicio ipsius Iugurthae. qui si dediticius est; profecto iussis uestris obediens erit: sin ea contemnit; scilicet existimabitis, qualis illa pax, aut deditio sit, ex qua ad Iugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentes maximae diuitiae, ad remp. damna, atq. dedecora peruenerint. Nisi forte dominationis eorum satietas nondum etiam uos tenet: & illa, quam haec tempora, magis placent, cum regna, prouinciae, leges, iura, iudicia, bella, atq. paces, postremo diuina, & humana omnia penes paucos erant: uos autem, hoc est populus R. inuicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere. nam seruitutem quidem quis uestrum recusare audebat? Atq. ego tametsi uirum flagitiosissimum existimo impune iniuriam accepisse: tamen, uos sceleratissimis hominib. ignoscere, quoniam ciues sunt, aequo animo paterer, ni misericordia in perniciem casura esset. nam & illis, quantum importunitatis habent, parum est impune male feciſſe, nisi deinde faciundi licentia eripitur: & uobis aeterna sollicitudo remanebit, cum intelligetis, aut seruiendum

uiendum esse,aut per manus libertatem retinen dū. Nam fidei quidem,aut concordiae quae spes est?dominari illi uolunt,uos liberi esse: facere il li iniurias, uos prohibere: postremo socijs ue- stris ueluti hostibus, hostib. pro socijs utuntur. potest ne in tam diuorsis mentib. pax,aut amici tia,esse?Quare moneo,hortorq. uos, ne tantum scelus impunitum dimittatis. Non peculatus aerarij factus est,neq. per uim socijs ereptae pe- cuniae.quae quamquam grauia sunt,tamen con sue tudine iam pro nihilo habentur. hosti acer- rimo prodita senatus auctoritas, proditum im- perium uestrum: domi, militiaeq. resp. uena- lis fuit.quae nisi quaesita erunt,nisi uindicatum in noxios:quid erit reliquum,nisi ut illis, qui ea fecere,obedientes uiuamus?nam,impune quidli bet facere,id est regem esse. Neq. ego uos,Qui- rites,hortor, ut iam malitis ciues uestros perpe ram, quam recte,feciſſe, sed ne,ignoscendo ma lis, bonos perditum eatis. at hoc in rep. multo praestat, beneficij, quam maleficij, immemo- rem esse. bonus tantummodo segnior fit, ubi ne gligas; at malus improbior. ad hoc, si iniuriae non sint,haud saepe auxilij egeas. Haec, atq. a- lia huiuscemodi saepe dicendo,C. Memmius po pulo R. persuadet, uti L. Cassius,qui tum prae- tor erat,ad Iugurtham mitteretur.eumque, in- terposita fide publica,Romam duceret; quo faci lius,indicio regis,Scauri,& reliquorum,quos pe cuniae captae arcessebant, delicta patefierent.

Dum

Dum haec Romae geruntur;qui in Numidia relicti a Beſtia exercitui praeerant,ſecuti morem imperatoris ſui,plurima, & flagitioſiſsima facinora fecere.fuere,qui auro corrupti,elephantes Iugurthae traderent; alij perfugas uenderent; pars ex pacatis praedas agerent.tanta uis auaritiae in animos eorum,ueluti tabes,inuaſerat.At Caſsius praetor, perlata rogatione a C. Memmio,ac perculſa omni nobilitate,ad Iugurtham proficiſcitur: eiq. timido,& ex conſcientia diffidenti reb.ſuis,perſuadet,quoniam ſe populo R. dedidiſſet,ne uim,quam miſericordiam eius, experiri malit: priuatim praeterea fidem ſuam interponit, quam ille non minoris, quam publicam,ducebat:talis ea tempeſtate fama de Caſsio erat.IgiturIugurtha,contra decus regium,cultu quammaxime miſerabili cum Caſsio Romam uenit. Ac,tametſi in ipſo magna uis animi erat; confirmatus ab omnibus, quorum potentia,aut ſcelere cũcta ea geſſerat,quae ſupra diximus,C. tamen Baebium tribunum pl. magna mercede parat, cuius impudentia contra ius, & iniurias omnes munitus foret.AtC.Memmius,aduocata concione;quamquam regi infeſta plebes erat;& pars in uincula duci iubebat;pars,ni ſocios ſceleris ſui aperiret,more maiorum de hoſte ſupplicium ſumi; dignitati magis, quam irae,conſulens, ſedare motus, & animos eorum mollire; poſtremo confirmare, fidem publicam per ſeſe inuiolatam fore.poſt,ubi ſilentium coepit, pro-

ducto

ducto Iugurtha, uerba facit: Romae, Numidiaeq. facinora eius memorat: scelera in patrem, fratresq. ostendit: quib. iuuantibus, quibusq. ministris ea egerit, quamquam intelligat populus R. tamen ueile manifesta magis ex illo habere: si uerum aperiat, in fide, & clementia populi R. magnam spem illi sitam: sin reticeat, non socijs saluti fore, sed se, suasq. spes corrupturum. Deinde, ubi Memmius dicendi finem fecit, & Iugurtha respondere iussus est, C. Baebius tribunus pl. quem pecunia corruptum supra diximus, regem tacere iubet: ac, tametsi multitudo, quae in concione aderat, uehementer accensa, terrebat eum clamore, uultu, saepe impetu, atq. alijs omnibus, quae ira fieri amat; uicit tamen impudentia. ita populus, ludibrio habitus, ex concione discedit: Iugurthae, Bestiaeque, & ceteris, quos illa quae stio exagitabat, animi augescunt. Erat ea tempestate Romae Numida quidam, nomine Massiua, Gulussae filius, Massanisae nepos: qui, quia in dissensione regum Iugurthae aduersus fuerat, dedita Cirtha, & Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. huic Sp. Albinus, is qui proximo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet, quoniam e stirpe Massanisae sit, Iugurtham ob scelera inuidia cum metu urgeat, regnum Numidiae ab senatu petat. auidus consul belli gerendi, moueri, quam senescere, omnia malebat. ipsi prouincia Numidia, Minucio Macedonia

cedonia euenerat. Quae postquam Massiua agitare coepit: neq. Iugurthae in amicis satis praesidij est; quod eorum alium conscientia, alium mala fama, & timor impediebat: Bomilcari proximo, ac maxime fido sibi imperat, pretio, sicut multa confecerat, insidiatores Massiuae paret, ac maxime occulte: sin id parum procedat, quouis modo Numidam interficiat. Bomilcar mature regis mandata exsequitur: & per homines, talis negotij artifices, itinera, egressusq. eius, postremo loca, atq. tempora cuncta explorat: deinde, ubi res postulabat, insidias tendit. igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati erant, paullo inconsultius Massiuam aggreditur, illum obtruncat: sed ipse, deprehensus, multis hortantibus, & in primis Albino consule, iudicium profitetur. fit reus magis ex aequo bonoque, quam ex iure gentium, Bomilcar, comes eius, qui Romam fide publica uenerat. At Iugurtha, manifestus tanti sceleris, non prius omisit contra uerum niti, quam animaduertit, super gratiam, atq. pecuniam suam inuidiam facti esse. igitur, quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta uades dederat, regno magis, quam uadibus, consulens, clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, ueritus, ne reliquos populares metus inuaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumptum foret. & ipse paucis dieb. profectus est, iussus a senatu Italia decedere. sed, postquam Roma egressus est, fertur, eo

saepe

saepe tacitus respiciens, postremo dixisse: Vrbem uenalem, & mature perituram, si emptorem inuenerit. Interim Albinus, renouato bello, commeatum, stipendium, aliaque, quae militib. usui forent, maturat in Africam portare; ac statim ipse profectus, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis, aut deditione, aut quouis modo bellum conficeret. At contra Iugurtha trahere omnia, & alias, deinde alias morae causas facere: polliceri deditionem, ac deinde metum simulare: instanti cedere, & paullo post, ne sui diffiderent, instare: ita belli modo, modo pacis mora consulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consilij regis existimarent; neq. ex tanta properantia tam facile tractum bellum socordia magis, quam dolo crederent. Sed, postquam, dilapso tempore, comitiorum dies aduentabat; Albinus, Aulo fratre in castris propraetore relicto, Romam decessit. Ea tempestate Romae seditionib. tribunicijs atrociter resp. agitabatur. L. Lucilius, & L. Annius, tribuni pl. resistentib. collegis, continuare magistratum nitebantur: quae dissensio totius anni comitia impediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem propraetorem in castris relictum supra diximus, aut confi ciendi belli, aut terrore exercitus ab rege pecuniae capiũdae, milites mense Ianuario ex hibernis in expeditionem euocat; magnisq. itinerib. hieme aspera peruenit ad opidum Suthul, ubi regis

gis thesauri erant. quod quamquam & saeuitia temporis,& opportunitate loci, neq. capi,neq. obsideri poterat: (nam circum situm in praerupti montis extremo planities limosa hiemalib. aquis paludem fecerat) tamen, aut simulandi gratia, quo regi formidinem adderet,aut cupidine caecusob thesauros opidi potiundi,uineas agere,aggerem iacere, aliaque, quae coepto usui forent,properare.At Iugurtha,cognita uanitate, atq. imperitia legati, subdolus eius augere amentiam : missitare supplicantes legatos:ipse, quasi uitabundus, per saltuosa loca, & tramites exercitum ductare: deniq.Aulum spe pactionis perpulit,uti,relicto Suthule,in abditas regiones sese, ueluti cedentem, insequeretur : ita delicta occultiora fore . interea per homines callidos die, noctuq. exercitum tentabat : centuriones, ducesq. turmarum partim, uti transfugerent, corrumpere ; alij, signo dato, locum uti deserent.Quae postquam ex sententia instruxit, intempesta nocte de improuiso multitudine Numidarum Auli castra circumuenit. milites Romani,perculsi tumultu insolito, arma capere: alij sese abdere:pars territos confirmare: trepidare : omnib. locis uis magna hostium : caelum nocte, atq. nubib. obscuratum : periculum anceps : postremo, fugere, an manere, tutius foret, in incerto erat. sed ex eo numero, quos paullo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum, cum duab. turmis Thracum, &

paucis

paucis gregarijs militibus, transiere ad regem: & centurio primi pili tertiae legionis per munitionem, quam uti defenderet, acceperat, locum hostib. introeundi dedit: eaq. Numidae cuncti irrupere. nostri foeda fuga, pleriq. abiectis armis, proximum collem occupauere. nox, atq. praeda castrorum, hostes, quo minus uictoria uterentur, remorata sunt. deinde Iugurtha postremo die cum Aulo in colloquio uerba facit: tametsi ipsum cum exercitu fame, ferroq. clausum tenet, tamen se humanarum rerum memorem: si secum foedus faceret, incolumes omnes sub iugum missurum: praeterea, uti dieb. decem Numidia decederet. Quae quamquam grauia, & flagitij plena erant: tamen, quia mortis metu mutabantur, sicuti regi libuerat, pax conuenit. Sed, ubi ea Romae comperta sunt: metus, atq. maeror ciuitatem inuasere: pars dolere pro gloria imperij: pars insolita rerum bellicarum timere libertati: Aulo omnes infesti, ac maxime qui bello saepe praeclari fuerant, quod armatus dedecore potius, quam manu, salutem quaesierit. Ob ea consul Albinus, ex delicto fratris inuidiam, ac demum periculum timens, senatum de foedere consulebat: & tamen interim exercitui supplementum scribere, ab socijs & nomine Latino auxilia accersere, deniq. omnib. modis festinare. senatus ita, uti par fuerat, decernit, suo atq. populi iniussu nullum potuisse foedus fieri. consul impeditus a tribunis pl. ne, quas

para-

parauerat copias, secum portaret, paucis dieb. in Africam proficiscitur. nam omnis exercitus, uti conuenerat, Numidia deductus in prouincia hiemabat. Postquam eo uenit; quamquam persequi Iugurtham, & mederi fraternae inuidiae animo ardebat; cognitis militibus, quos, praeter fugam, soluto imperio, licentia, atq. lasciuia corruperat, ex copia rerum statuit nihil sibi agitandum. Interea Romae C. Mamilius Limitanus tribunus pl. rogationem ad populum promulgat, uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha senati decreta neglexisset; quiq. ab eo in legationibns, aut imperijs, pecunias accepissent; qui elephantos, quiq. perfugas tradidissent; item, qui de pace, aut bello, cum hostib. pactiones fecissent. Huic rogationi partim conscij sibi, alij ex partium inuidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, quin illa, & alia talia placere sibi faterentur, occulte per amicos, ac maxime per homines nominis Latini, & socios Italicos impedimenta parabãt. sed plebes, incredibile memoratu est, quam intenta fuerit, quantaq. ui rogationem iusserit, decreuerit, uoluerit, magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reip. tanta libido in partib. erat. Igitur, ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiae fuisse supra docuimus, inter laetitiam plebis, & suorum fugam, trepida etiam tum ciuitate, cum ex Mamilij rogatione tres quaesitores

ſitores rogarentur, effecerat, ut ipſe in eo numero crearetur. ſed quaeſtione exercita aſpere, uiolenterq. ex rumore,& libidine plebis,ut ſaepe nobilitatem, ſic ea tempeſtate plebem ex ſecundis reb.inſolentia ceperat.Ceterum mos partium popularium,& ſenatus factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis ante annis Romae ortus eſt,otio,atq. abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. nam ante Carthaginem deletam, populus, & ſenatus R. placide,modeſteq. inter ſe remp.tractabāt:neq. gloriae, neq. dominationis certamen inter ciues erat: metus hoſtilis in bonis artib. ciuitatem retinebat. ſed,ubi illa formido mentib. deceſsit; ſcilicet ea, quae ſecundae res amant, laſciuia, atque ſuperbia inceſſere. ita,quod in aduerſis reb. optauerant, otium poſtquam adepti ſunt, aſperius, acerbiusq. fuit. namq. coepere nobilitas dignitatem in ſuperbiam,plebes libertatem in libidinem uertere : ſibi quiſq. ducere, trahere, rapere. ita omnia in duas partes abſtracta ſunt: reſp. quae media fuerat,dilacerata. ceterum nobilitas factione magis pollebat: plebis uis, ſoluta, atq. in multitudine diſperſa, minus poterat. paucorum arbitrio belli,domiq. agitabatur: penes eoſdam aerarium, prouinciae, magiſtratus, gloriae, triumphiq. erant : populus militia, atq. inopia urgebatur, praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes, aut parui libe-

ri militum,uti quisq. potentiori confinis erat,se dib. pellebantur. ita cum potentia auaritia sine modo,modestiaq.inuadere,polluere, & uastare omnia:nihil pensi,neq. sancti habere,quoad semet ipsa praecipitauit. nam,ubi primum ex nobilitate reperti sunt,qui ueram gloriam iniustae potentiae anteponerent: moueri ciuitas, & dissensio ciuilis, quasi permixtio terrae, oriri coepit. Nam,postquam Tiberius, & C. Gracchus, quorum maiores Punico, atq. alijs bellis multum reip. addiderant, uindicare plebem in libertatem, & paucorum scelera patefacere coepere:nobilitas noxia,atq.eo perculsa, modo per socios, ac nomen Latinum,interdum per equites Romanos,quos spes societatis a plebe dimouerat, Gracchorum actionib. obuiam ierat: & primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Caium, tribunum pl. alterum,alterum triumuirum colonijs deducendis, cum M. Fuluio Flacco ferro necauerat. sane Gracchis,cupidine uictoriae,haud satis moderatus animus fuit. sed bono uinci satius est, quam malo more iniuriam uincere. Igitur ea uictoria nobilitas ex libidine sua usa, multos mortales ferro aut fuga exstinxit; plusq.in reliquum sibi timoris, quam potentiae,addidit.quae res plerumq.magnas ciuitates pessumdedit:dum alteri alteros uincere quouis modo,& uictos acerbius ulcisci uolunt. Sed de studijs partium, & omnib.ciuitatis morib.si singillatim,aut pro magnitu-

gnitudine parem differere; tempus, quam res, maturius me deferet. quamobrem ad inceptum redeo. Post Auli foedus, exercitusq. nostri foedam fugam, Metellus, & Silanus consules designati, prouincias inter se partiuerant: Metelloq. Numidia euenerat, acri uiro, & quamquam aduerso populi partibus, fama tamen aequabili, & inuiolata. is, ubi primum magistratum ingressus est; alia omnia sibi cum collega communia ratus, ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit. igitur, diffidens ueteri exercitui, milites scribere: praesidia undiq. accersere: arma, tela, equos, & cetera instrumenta militiae, parare, ad hoc commeatum affatim, deniq. omnia, quae in bello uario, & multarum rerum egenti, usui esse solent. Ceterum ad ea patranda senatus auctoritate, socij, nomenq. Latinum, & reges ultro auxilia mittendo, postremo omnis ciuitas summo studio adnitebatur. itaque, ex sententia omnib. reb. paratis, compositisque, in Numidiā proficiscitur, magna spe ciuium, cum propter bonas artes, tum maxime quod aduersum diuitias inuictum animum gerebat; & auaritia magistratuum ante id tempus in Numidia nostrae opes contusae, hostiumq. auctae erant. Sed, ubi in Africam uenit, exercitus ei traditur a Sp. Albino proconsule, iners, imbellis, neq. periculi, neq. laboris patiens, lingua, quam manu, promptior, praedator ex socijs, & ipse praeda hostium,

ſine imperio, & modeſtia habitus. ita imperatori nouo plus ex malis morib. ſollicitudinis, quam ex copia militum auxilij, aut bonae ſpei, accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam & aeſtiuorum tempus comitiorum mora imminuerat; &, exſpectatione euentus, ciuium animos intentos putabat; non prius bellum attingere, quam maiorum diſciplina milites laborare coegiſſet. nam Albinus, Aulii fratris, exercitusq. clade perculſus, poſtquam decreuerat non egredi prouincia, quantum temporis aeſtiuorum in imperio fuit, plerumq. milites in ſtatiuis caſtris habebat; niſi cum odor, aut pabuli egeſtas, locum mutare ſubegerat. ſed neq. more militari uigiliae ducebantur: uti cuiq. libebat, ab ſignis aberat. lixae permixti cum militib. diu, noctuq. uagabantur: & palantes agros uaſtare, uillas expugnare, pecoris, & mancipiorum praedas certatim agitare: eaq. mutare cum mercatoribus, uino aduecticio, & alijs talibus: praeterea, frumentum publice datum uendere, panem in dies mercari: poſtremo, quaecumq. dici, aut fingi queunt ignauiae, luxuriaeq. probra, in illo exercitu cuncta fuere, & alia amplius. ſed in ea difficultate Metellum non minus, quam in reb. hoſtilibus, magnum, & ſapientem uirum fuiſſe comperior, tanta temperantia inter ambitionem, ſaeuitiamq. moderatum: namq. edicto primum adiumenta ignauiae ſuſtuliſſe, ne quiſquam in caſtris panem, aut quem alium

coctum

coctum cibum uenderet: ne lixae exercitum se querentur: ne miles gregarius in castris, ne ue in agmine seruum, aut iumentum haberet: ceteris arte modum statuisse: praeterea, transuersis itinerib. quotidie castra mouere: iuxta ac si hostes adessent, uallo, atq. fossa munire: uigilias crebras ponere, & eas ipse cum legatis circuire: item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur: ut, cum signis frequentes incederent, miles cibum, & arma, portaret. ita, prohibendo a delictis magis, quam uindicando, exercitum breui confirmauit. Interea Iugurtha, ubi, quae Metellus agebat, ex nuncijs accepit; simul de innocentia eius certior Romae factus, diffidere suis rebus, ac tum demum ueram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum supplicijs mittit, qui tantummodo ipsi, liberisq. uitam peterent, alia omnia dederent populo R. Sed Metello iam antea experimentis cognitum erat, genus Numidarum infidum, ingenio mobili, nouarum rerum auidum esse. itaq. legatos alium ab alio diuersos aggreditur: ac paullatim tentando, postquam opportunos sibi cognouit, multa pollicendo persuadet, uti Iugurtham maxime uiuum; sin id parum procedat, necatum sibi traderent: ceterum palam, quae ex uoluntate forent, regi nunciari iubet. deinde ipse paucis diebus, intento, atq. infesto exercitu, in Numidiam procedit: ubi,

contra belli faciem,tuguria plena hominum,pecora, cultoresq.in agris erant: ex opidis,& mapalibus,praefecti regis obuiam procedebant,parati frumentum dare,commeatum portare,postremo omnia,quae imperarentur, facere. neq. Metellus iccirco minus, sed pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere,late explorare omnia,illa deditionis signa ostentui credere, & insidijs locum tentare. itaq. ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum, & sagittariorum delecta manu apud primos erat: in postremo C. Marius legatus cum equitib. curabat: in utrumq.latus auxiliarios equites tribunis legionum, & praefectis cohortium dispertiuerat: ut cum his permixti uelites, quocumq. accederent,equitatus hostium propulsarent.nam in Iugurtha tantus dolus,tantaq. peritia locorum,& militiae,inerat,ut,absens an praesens,pacem an bellum gerens pernicioſior esset, in incerto haberetur.Erat haud longe ab eo itinere,quo Metellus pergebat, opidum Numidarum,nomine Vacca, forum rerum uenalium totius regni maxime celebratum; ubi & incolere, & mercari, consueuerant Italici generis multi mortales. huc consul, simul tentandi gratia,& si paterentur opportunitates loci, praesidium imposuit: praeterea imperauit frumentum, & alia, quae bello usui forent, comportare; ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum,& cõmeatum iuuaturum exercitum, & iam paratis

tis reb. munimento fore. Inter haec negotia Iugurtha impensius modo legatos supplices mittere, pacem orare: praeter suam, liberorumq. uitam, omnia Metello dedere. quos item consul, uti priores, illectos ad proditionem, domum dimittebat: regi pacem, quam postulabat, neq. abnuere, neq. polliceri, & inter eas moras promissa legatorum exspectare. Iugurtha ubi Metelli dicta cum factis composuit, ac suis se artib. tentari animaduertit; quippe cui uerbis pax nunciabatur, ceterum re bellum asperrimum erat, urbs maxima alienata, ager hostib. cognitus, animi popularium tentati; coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. igitur, explorato hostium itinere, in spem uictoriae adductus ex opportunitate loci, quam maximas potest copias omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli anteuenit. Erat in ea parte Numidiae, quam Adherbal in diuisione possederat, flumen, a meridie oriens, nomine Muthul: a quo mõs aberat ferme millia passuũ xx. tractu pari, uastus ab natura, & humano cultu: sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertingens, uestitus oleastro, ac myrtetis, alijsq. generib. arborum, quae humi arido, atq. arenoso, gignuntur. media autem planities deserta, paenuria aquae, praeter flumini propinqua loca. ea consita arbustis, pecore, atq. cultorib. frequentabantur. igitur in eo colle, quem trãsuerso itinere porrectũ docuimus, Iugurtha,

extenuata ſuorum acie conſedit: elephantis, & parti copiarum pedeſtrium Bomilcarem praefecit: eumq. edocet, quae ageret: ipſe propior montem cum omni equitatu, & peditib. delectis ſuos collocat: dein ſingulas turmas, & manipulos circumiens monet, atq. obteſtatur, uti memores priſtinae uirtutis, & uictoriae, ſeſe, regnumq. ſuum, ab Romanor. auaritia defendant: cum ijs certamen fore, quos antea uictos ſub iugum miſerint: ducem illis, non animum, mutatum: quae ab imperatore decuerint, omnia ſuis prouiſa: locum ſuperiorem, uti prudentes cum imperitis, ne pauciores cum pluribus, aut rudes cum bello meliorib. manum conſererent: proinde parati, intentiq. eſſent, ſigno dato, Romanos inuadere: illum diem aut omnes labores, & uictorias, confirmaturum, aut maximarum aerumnarũ initium fore. ad hoc uiritim, uti quemq. ob militare facinus pecunia, aut honore extulerat, commonefacere beneficij ſui, & eum ipſum alijs oſtentare: poſtremo, pro cuiuſq. ingenio pollicendo, minitando, obteſtando, alium alio modo excitare: cum interim Metellus, ignarus hoſtium, monte digrediens cum exercitu conſpicatur. primo dubius, quidnam inſolita facies oſtenderet; (nã inter uirgulta equi, Numidaeq. conſederant; neq. plane occultati humilitate arborum; & tamen, quidnam eſſet, incerti, cum natura loci, tum dolo, ipſi, atq. ſigna militaria, obſcurati) dein, breui cognitis inſidijs,

paul-

paulliſper agmen conſtituit. ibi commutatis ordinibus, in dextro latere, quod proximum hoſtib. erat, triplicib. ſubſidijs aciem inſtruxit: inter manipulos funditores, & ſagittarios diſpertit: equitatum omnem in cornib. locat: ac pauca pro tempore milites cohortatus, aciem, ſicuti inſtruxerat, tranſuorſis principijs in planum deducit. Sed, ubi Numidas quietos, neq. collle digredi animaduertit, ueritus ex anni tempore, & inopia aquae, ne ſiti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus, & parte equitum praemiſit ad flumen, uti locum caſtris ante caperet, exiſtimans hoſtes crebro impetu, & tranſuorſis proelijs iter ſuum remoraturos, &, quoniam armis diffiderent, laſſitudinem, & ſitim militum tentaturos. deinde ipſe pro re, atq. loco, ſicuti monte deſcenderat, paullatim procedere: Marium poſt principia habere: ipſe cum ſiniſtrae alae equitib. eſſe, qui in agmine principes facti erant. At Iugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos ſuos praetergreſſum uidet, praeſidio quaſi duum millium peditum montem occupat, qua Metellus deſcenderat: ne forte cedentib. aduerſarijs receptui, ac poſt munimento foret: dein, repente ſigno dato, hoſtes inuadit. Numidae alij poſtremos caedere: pars a ſiniſtra, ac dextra tentare: infenſi adeſſe, atq. inſtare, omnib. locis Romanos ordines conturbare. quorum etiam qui firmiorib. animis obuij hoſtib. fuerant, ludificati incerto

proclio,

proelio ipsi modo eminus sauciabantur, neq. contra feriendi, aut conferendi manum copia erat. ante iam docti ab Iugurtha equites, ubi Romanorum turma insequi coeperat, non confertim, neq. in unum sese recipiebant, sed alius alio quammaxime diuersi. ita numero priores, fr a persequendo hostes deterrere nequiuerant, dissiectos ab tergo, aut laterib. circumueniebant: sin opportunior fugae collis, quã campi fuerãt; eo uero consueti Numidarum equi facile inter uirgulta euadere; nostros asperitas, & insolentia loci retinebat. ceterum facies totius negotij uaria, incerta, foeda, atq. miserabilis. dispersi a suis, pars cedere, alij insequi: neq. signa, neq. ordines obseruare: ubi quemq. periculum ceperat, ibi resistere, ac propulsare: arma, tela, equi, uiri, hostes, ciues permixti: nihil consilio, neq. imperio, agi: fors omnia regere. itaq. multum diei processerat, cum etiam tum euentus in incerto erat. denique, omnib. labore, & aestu languidis, Metellus, ubi uidet, Numidas minus instare, paullatim milites in unum conducit: ordines restituit, & cohortes legionarias quattuor aduersus pedites hostium collocat. eorum magna pars superiorib. locis fessa consederat. simul orare, & hortari milites, ne deficerent, neu paterentur hostes fugientes uincere: neq. illis castra esse, neq. munimentum ullum, quo cedentes tenderent: in armis omnia sita. Sed nec Iugurtha quidem interea quietus

erat

erat: circuire, hortari, renouare proelium, & ipse cum delectis tentare omnia, subuenire suis, hostib. dubijs instare; quos firmos cognouerat, eminus pugnando retinere. Eo modo inter se duo imperatores, summi uiri, certabant. ipsi pares, ceterum opib. disparibus. nam Metello uirtus militum erat, locus aduersus: Iugurthae alia omnia, praeter milites, opportuna. Denique Romani, ubi intelligunt, neq. sibi profugium esse, neq. ab hoste copiam pugnandi fieri; & iam die uesper aderat; aduerso colle, sicuti praeceptum fuerat, euadunt. amisso loco Numidae fusi, fatigatiq. pauci interiere: plerosq. uelocitas, & regio hostib. ignara tutata sunt. Interea Bomilcar, quem elephantis, & parti copiarum pedestrium praefectum ab Iugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius praetergressus est, paullatim suos in aequum locum deducit: ac, dum legatus ad flumen, quo praemissus erat, festinãs pergit, quietus, uti res postulabat, aciem exornat: neq. remittit interim, quid ubiq. hostis ageret, explorare. Postquam Rutilium consedisse iam, & animo uacuum accepit, simulq. ex Iugurthae proelio clamorem augeri, ueritus ne legatus, cognita re, laborantib. suis auxilio foret, aciem, quam diffidens uirtuti militum arte statuerat, quo hostium itineri officeret, latius porrigit, eoq. modo ad Rutilij castra procedit. Romani ex improuiso pulueris uim magnam animaduertunt. nam prospectum ager arbustis consitus

prohi-

prohibebat. & primo rati humum aridam uento agitari: poſt, ubi aequabilem manere, &, ſicuti acies mouebatur, magis magisq. appropin quare uident; cognita re properantes arma capiunt, ac pro caſtris, ſicuti imperabatur, conſiſtunt. deinde, ubi propius uentum eſt, utrimq. magno clamore concurritur. Numidae tantum modo remorati, dum in elephantis auxilium putant, poſtquam eos impeditos ramis arborum, atq. ita diſiectos circumueniri uident, fugam faciunt: ac plerique, abiectis armis, collis, aut nactis, quae iam aderat, auxilio integri abeunt. elephanti quattuor capti, reliqui omnes, XL numero, interfecti. At Romani, quamquam itinere, atq. opere caſtrorum, & proelio feſsi, laſsiq. erant: tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, inſtructi, intentiq. obuiam procedunt. nam dolus Numidarũ nihil languidi, neq. remiſsi patiebatur. ac primo obſcura nocte, poſtquam haud procul inter ſe erant, ſtrepitu, uelut hoſtes aduentarent, alteri apud alteros formidinem ſimul, & tumultum facere: & paene imprudentia admiſſum facinus miſerabile, ni utrimq. praemiſsi equites rem exploraſſent. igitur pro metu repente gaudium exortum: milites alius alium laeti appellant, acta edocent, atq. audiunt: ſua quiſq. fortia facta ad caelum effert. quippe res humanae ita ſeſe habent: in uictoria uel ignauis gloriari licet: aduorſae res etiam bonos detrectant. Metellus in ijſdem caſtris

quattriduo

quattriduo moratus, saucios cum cura reficit, meritos in proelijs more militiae donat, uniuersos in concione laudat, atque agit gratias: hortatur, ad cetera, quae leuia sunt, parem animum gerant: pro uictoria satis iam pugnatum, reliquos labores pro praeda fore. tamen interim trãsfugas, & alios opportunos. Iugurtha ubi gentium, aut quid agitaret, cum paucis ne esset, an exercitum haberet, ut sese uictus gereret, exploratum misit. At ille sese in loca saltuosa, & natura munita, receperat: ibiq. cogebat exercitum numero hominum ampliorem, sed hebetem, infirmum, agri, ac pecoris magis, quam belli, cultorem. id ea gratia eueniebat, quod praeter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur: quo cuiusq. animus fert, eo discedunt: neq. id flagitium militiae ducitur. ita se mores habent. Igitur Metellus, ubi uidet animum regis etiam tum ferocem esse; bellum renouari, quod nisi ex illius lubidine geri non posset; praeterea, iniquum certamen sibi cum hostib. esse; minore detrimento illos uinci, quam suos uincere; statuit, non proelijs, neque acie, sed alio more, bellum gerundum. itaq. in loca Numidiae opulentissima pergit: agros uastat: multa castella, & opida, temere munita, aut sine praesidio, capit, incenditque: puberes interfici iubet, alia omnia militum esse praedam. ea formidine multi mortales Romanis dediti obsides: frumentum, & alia, quae usui forent, affatim praebita:

bita:ubicumq.res poſtulabat,praeſidium impoſitum. Quae negotia multo magis, quam proelium male pugnatum ab ſuis,regem terrebant. quippe cuius ſpes omnis in fuga ſita erat, ſequi cogebatur; &,qui ſua loca defendere nequiuerat,in alienis bellum gerere. tamen ex inopia, quod optimum uidebatur, conſilium capit: exercitum plerumq. in ijſdem locis opperiri iubet: ipſe cum delectis equitib. Metellum ſequitur: nocturnis,& auijs itinerib. ignoratus, Romanos palantes repente aggreditur.eorum pleriq. inermes cadunt, multi capiuntur:nemo omnium intactus profugit: & Numidae prius, quam ex caſtris ſubueniretur,ſicuti iuſsi erant, in proximos colles diſcedunt. Interim Romae gaudium ingens ortum,cognitis Metelli rebus: ut ſeſeque,& exercitum more maiorum gereret: in aduerſo loco uictor tamen uirtute fuiſſet:hoſtium agro potiretur: Iugurtham, magnificum ex Auli ſecordia,ſpem ſalutis in ſolitudine, aut fuga coegiſſet habere.itaq. ſenatus ob ea feliciter acta dijs immortalib.ſupplicia decernere: ciuitas, trepida antea,ſollicita de belli euentu,laeta agere: de Metello fama praeclara eſſe. Igitur eo intentior ad uictoriam niti:omnib. modis feſtinare: cauere tamen, necubi hoſti opportunus fieret:meminiſſe, poſt gloriam inuidiam ſequi. ita,quo.clarior,eo magis anxius erat:neq.poſt inſidias Iugurthae effuſo exercitu praedari.ubi frumẽto,aut pabulo opus erat, cohortes cum omni

equi-

equitatu praesidium agitabant: exercitus partem ipse, reliquos Marius ducebat. sed igni magis, quam praeda, ager uastabatur. duob. locis haud longe inter se castra faciebant. ubi ui opus erat, cuncti aderant: ceterum, quo fuga, atq. formido latius crescceret, diuersi agebant. Eo tempore Iugurtha per colles sequi: tempus, aut locum pugnae quaerere: qua uenturum hostem audierat, pabulum, & aquarum fontes, quorum penuria erat, corrumpere: modo se Metello, interdum Mario ostendere: postremos in agmine tentare, ac statim in colles regredi: rursus alijs, post alijs minitari: neq. proelium facere, neq. otium pati, tantummodo hostem ab incepto retinere. Romanus imperator ubi se dolis fatigari uidet, neq. ab hoste copiam pugnandi fieri; urbem magnam, & in ea parte, qua sita erat, arcem regni, nomine Zamam, statuit oppugnare; ratus id, quod negotium poscebat, Iugurtham laborantib. suis auxilio uenturum, ibiq. proelium fore. At ille, quae parabantur, a perfugis edoctus, magnis itinerib. Metellum anteuenit: opidanos hortatur, moenia defendant, additis auxilio perfugis: quod genus ex copijs regis, quia fallere nequibat, firmissimum erat, praeterea pollicetur, in tempore semet cum exercitu adfore. ita compositis rebus, in loca quammaxime occulta discedit; ac post paullo cognoscit. Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortib. Siccam misum. quo opidum pri-

mum

mum omnium poſt malam pugnam ab rege defecerat. eo cum delectis equitib. noctu pergit, & iam egredientib. Romanis in porta pugnam facit: ſimul magna uoce Siccenſes hortatur, uti cohortes ab tergo circumueniant: fortunam illi praeclari facinoris casū dare, ſi id fecerint: poſtea ſeſe in regno, illos in libertate ſine metu aetatem acturos. ac, ni Marius ſigna inferre, atq. euadere opido properauiſſet: profecto cuncti, aut magna pars Siccenſium fidem mutauiſſent. tanta mobilitate ſeſe Numidae gerunt. ſed milites Iugurthini, paulliſper ab rege ſuſtentati, poſt quam maiore ui hoſtes urgēt, paucis amiſsis profugi diſcedunt. Marius ad Zamam peruenit. id opidum, in campo ſitum, magis opere, quam natura munitum erat, nullius idoneae rei egens, armis uirisq. opulentum. igitur Metellus, pro tempore, atque loco paratis rebus, cuncta moenia exercitu circumuenit: legatis imperat, ubi quiſq. curaret: deinde, ſigno dato, undiq. ſimul clamor ingens oritur. neq. ea res Numidas terret: infenſi, intentiq. ſine tumultu manent: proelium incipitur. Romani, pro ingenio quiſque, pars eminus glande, aut lapidib. pugnare: alij ſuccedere, ac murum modo ſuffodere, modo ſcalis aggredi, cupere proelium manib. facere. contra ea opidani in proximos ſaxa uoluere, ſudes, pilas, praeterea picem, & ſulphure taedam mixtam ardenti mittere. ſed ne illos quidem, qui procul manſerant, timor animi ſatis

muni-

muniuerat. nam plerosq. iacula, tormentis, aut manu emissa, uulnerabant: pariq. periculo, sed fama impari, boni, atq. ignaui erant. Dum apud Zamam sic certatur, Iugurtha ex improuiso castra hostium cum magna manu inuadit: remissis, qui in praesidio erant, & omnia magis, quam proelium, exspectantibus, portam irrumpit. at nostri, repentino metu perculsi, sibi quisq. pro morib. consulunt: alij fugere, alij arma capere: magna pars uulnerati, aut occisi. ceterum ex omni multitudine non amplius x L, memores nominis Romani, grege facto locum capere paullo, quam alij, editiorem: neq. inde maxima ui depelli quiuerunt: sed tela eminus missa remittere, pauci in plurib. minus frustrari: sin Numidae propius accessissent, ibi uero uirtutem ostendere, & eos maxima ui caedere, fundere, atq. fugare. Interim Metellus, cum acerrime rem gereret, clamorem & tumultum hostilem a tergo accepit: dein, conuerso equo, animaduertit fugam ad se uersum fieri. quae res indicabat populares esse. igitur equitatum omnem ad castra propere misit, ac statim C. Marium cum cohortib. sociorum; eumq. lacrymans per amicitiam, perq. remp. obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu uicto re, ne ue hostes inultos abire sinat. ille breui mãdata efficit. At Iugurtha munimento castrorum impeditus, cum alij super uallum praecipitarentur, alij in angustijs ipsi sibi properantes officerent,

rent,multis amiſsis in loca munita ſeſe recipit. Metellus, infecto negotio, poſtquam nox aderat,in caſtra cum exercitu reuertitur.Igitur poſtero die, prius quam ad oppugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis aduentus erat, pro caſtris agitare iubet: portas, & proxima loca tribunis diſpertit: deinde ipſe pergit ad opidum, atque, uti ſuperiore die,murum aggreditur. Interim Iugurtha ex occulto repente noſtros inuadit. qui in proximo locati fuerant, paulliſper territi perturbantur: reliqui cito ſubueniunt.neq.diutius Numidae reſiſtere quiuiſſent,ni pedites, cum equitib.permixti, magnam cladem cõgreſſu facerent: quib. illi freti, non uti equeſtri proelio ſolet, ſequi, deinde cedere,ſed aduerſis equis cõcurrere, implicare, ac perturbare,aciem: ita, expeditis peditib.ſuis, hoſtes paene uictos dare.Eodem tempore apud Zamam magna ui certabatur. ubi quiſq. legatus, aut tribunus curabat, eo acerrime niti,neq. alius in alio magis, quam in ſe, ſpem habere: paritérq. opidani agere, oppugnare, aut parare omnib. locis: auidius alteri alteros ſauciare,quã ſemet tegere.clamor permixtus hortatione, laetitia, gemitu: item ſtrepitus armorum ad caelum ferri: tela utrimq. uolare. ſed illi, qui moenia defenſabant, ubi hoſtes paullulum modo pugnam remiſerant,intenti proelium equeſtre proſpectabant. eos,uti quaeq.Iugurthae res erant,laetos modo, modo pauidos

animaduerteres: ac, ſicuti a ſuis audiri, aut cerni poſſent, monere alij, alij hortari, aut manu ſignificare, aut niti corporibus: huc, & illuc, quaſi uitabundi, aut iacientes tela, agitare. Quod ubi Mario cognitum eſt; (nam is in ea parte curabat conſulto lenius agere, ac diffidentiam rei ſimulare: pati Numidas ſine tumultu, regis proelium uiſere. ita, illis ſtudio ſuorum adſtrictis, repente magna ui murum aggreditur: & iam ſcalis egreſſi milites, prope ſumma ceperant, cum opidani concurrunt, lapidesque, & ignem, praterea alia tela ingerunt. noſtri primo reſiſtere: deinde, ubi unae, atq. alterae ſcalae comminutae, qui ſuperſteterant afflicti ſunt: ceteri, quoquo modo potuere, pauci integri, magna pars confecti uulneribus, abeunt. deniq. utrimq. proelium nox diremit. Metellus poſtquam uidet fruſtra inceptum, neq. opidum capi, neq. Iugurtham, niſi ex inſidijs, aut ſuo loco pugnam facere, & iam aeſtatem exactam eſſe, ab Zama diſcedit; & in ijs urbibus, quae ab rege defecerant, ſatisq. munitae loco, aut moenib. erant, praeſidia imponit: ceterum exercitum in prouincia, quae proxima eſt Numidiae, hiemandi gratia collocat. neq. id tempus ex aliorum more quieti, aut luxuriae concedit, ſed, quoniam armis bellum parum procedebat, inſidias regi per amicos tendere, & eorum perfidia pro armis uti parat. igitur Bomilcarem, qui Romae cum Iugurtha fuerat, & inde, uadib. datis

de Massiuae nece, clam iudicium fugerat, quod ei per maximam amicitiam maxima copia fallendi erat, multis pollicitationib. aggreditur: ac primo efficit, uti ad se colloquendi gratia occultus ueniat: deinde, fide data, si Iugurtham uiuum, aut necatum sibi tradidisset, fore, ut illi senatus impunitatem, & sua omnia, concederet, facile Numidae persuadet, cum ingenio infido, tum metuẽti, ne, si pax cum Romanis fieret, ipse per condiciones ad supplicium traderetur. is, ubi primum opportunum fuit, Iugurtham anxium, ac miserantem fortunas suas, accedit: monet, atq. lacrymans obtestatur, uti aliquando sibi, liberisque, & genti Numidarum, optime meritae, prouideat: omnib. proelijs sese uictos, agrum uastatum, multos mortales captos, occisos, regni opes comminutas esse: satis saepe iam & uirtutem militum, & fortunam tentatam: caueat, ne, illo cunctante, Numidae sibi cõsulant. His, atq. talib. alijs ad deditionem animum regis impellit. mittuntur ad imperatorem legati, qui Iugurtham imperata facturum dicerent, ac sine ulla pactione sese, regnumq. suum, in illius fidem tradere. Metellus propere cunctos senatorij ordinis ex hibernis accersiri iubet: eorum, atq. aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. ita more maiorum, ex consilij decreto, per legatos Iugurthae imperat, argenti pondo ducenta millia, elephantos omnes, equorum, & armorum aliquãtulum. Quae postquam

sine

sine mora facta sunt,iubet omnes perfugas uinctos adduci.eorum magna pars,uti iussum erat, adducti: pauci,cum primum deditio coepit, ad regem Bocchum in Mauritaniam abierant. Igitur Iugurtha,ubi armis, uirisque,& pecunia spoliatus est,cum ipse ad imperandum Tisdrum uocaretur,rursus coepit flectere animum suum, & ex mala conscientia digna timere.denique, multis dieb.per dubitationem consumptis, cum modo taedio rerum aduersarum omnia bello potiora duceret;interdumsecum ipse reputaret,quam grauis casus in seruitium ex regno foret;multis, magnisq.praesidijs nequidquam perditis,deintegro bellum sumit.& Romae senatus, de prouincijs consultus,Numidiam Metello decreuerat. Per idem tempus Vticae forte C.Mario,per hostias dijs supplicanti, magna, atq. mirabilia portendi haruspex dixerat:proinde,quae animo agitabat, fretus dijs ageret: fortunam quamsaepissime experiretur: cuncta prospere euentura. at illum iam antea consulatus ingens cupido exagitabat: ad quemcapiundum, praeter uetustatem familiae,alia omnia abunde erant,industria,probitas,militiae magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, libidinis, & diuitiarum uictor, tantummodo gloriae auidus. sed, is natus, & per omnem pueritiam Arpini alitus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendijs faciundis, non Graeca facundia, neq. urbanis munditijs, sese exercuit:

ta inter artes bonas integrum ingenium breui adoleuit. ergo, ubi primum tribunatum militum a populo petit, plerisq. faciem eius ignorantib. facile notus per omnes trib. declaratur. deinde ab eo magistratu alium post alium sibi peperit: semperq. in potestatib. eo modo agitabat, ut ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. tamen is ad id locorum talis uir (nam postea ambitione praeceps datus est) consulatum appetere non audebat. etiam tum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat. nouus nemo tam clarus, neq. tam egregius factis erat, quin is indignus illo honore, & quasi pollutus, haberetur. igitur, ubi Marius haruspicis dicta eodem, quo cupido animi hortabatur, intendere uidet, ab Metello petendi gratia missionem rogat: cui quamquam uirtus, gloria, atq. alia optanda bonis, superabant, tamen inerat contemptor animus, & superbia, commune nobilitatis malum. itaq. primum commotus insolita re, mirari eius consilium, & quasi per amicitiam monere, ne tam praua inciperet, neu super fortunam animum gereret: non omnia omnib. cupienda esse: debere illi res suas satis placere: postremo caueret id petere a populo R. quod illi iure negaretur. Postquam haec, atq. alia talia dixit, neq. animus Marij flectitur; respondit, ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese, quae peteret. apostea saepius eadem postulanti fertur

dixisse,

dixisse, ne festinaret abire: satis mature illum cum filio suo consulatum petiturum. is eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter xx. quae res Marium cum pro honore, quem affectabat, tum contra Metellum uehementer accenderat. ita cupidine, atq. ira, pessimis consultoribus, grassari: neq. facto ullo, neq. dicto, abstinere, quod modo ambitiosum foret: milites, quib. in hibernis praecerat, laxiore imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Vticae erat, criminose simul ac magnifice de bello loqui: dimidia pars exercitus si sibi permitteretur, paucis dieb. Iugurtham in catenis habiturum: ab imperatore consulto bellum trahi, quod homo inanis, & regiae superbiae, imperio nimis gauderet. quae omnia illis eo firmiora uidebantur, quod diuturnitate belli res familiares corruperant: & animo cupienti nihil satis festinatur.

Erat praeterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda, Manastabilis filius, Massanissae nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem scripserat, morbis confectus, & ob eam caussam mente paullulum imminuta. cui Metellus petenti regum more, ut sellam iuxta poneret, item postea custodiae caussa turmam equitum Romanorum, utrumq. negauerat; honorem, quod eorum modo foret, quos populus R. reges appellauisset; praesidium, quod contumelioso in eos foret, si equites Romani,

mani,satellites Numidae traderentur. hunc Marius anxium aggreditur, atq. hortatur,ut contumeliarum in imperatorem cum suo auxilio poenas petat : hominem ob morbos animo parũ ualido secunda oratione extollit:illum regem,ingentem uirum,Massanisae nepotem esse:si Iugurtha captus, aut occisus foret, imperium Numidiae sine mora habiturum:id adeo mature posse euenire,si ipse consul ad id bellum missus foret. itaq. & illum,& equites Romanos,milites,& negotiatores, alios ipse,plerosq. spes pacis impellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Metellum de bello scribant, Marium imperatorem poscant. sic a multis illi mortalib. honestissima suffragatione consulatus petebatur . simul ea tempestate plebes, nobilitate fusa, per legem Mamiliam nouos extollebat . ita Mario cuncta procedere . Interim Iugurtha , postquam, omissa deditione, bellum incipit , cum magna cura parare omnia , festinare , cogere exercitum: ciuitates,quae ab se defecerant,formidine,aut ostentando praemia affectare: communire suos locos : arma,tela,aliaque,quae spe pacis amiserat, reficere,ant commercari: seruitia Romanorum allicere,& eos ipsos,qui in praesidijs erant , pecunia tentare: prorsus nihil intactum,neq. quietum pati : cuncta agitare . Igitur Vaccenses, quo Metellus initio , Iugurtha pacificante , praesidium imposuerat,fatigati regis supplicijs, neq. antea uoluntate alienati, principes ciuitatis

tis inter se coniurant: (nam uulgus, uti plerumq. solet, & maxime Numidarum, ingenio mobili, seditiosum, atq. discordiosum erat, cupidum no uarum rerum, quieti & otio aduersum) dein, compositis inter se rebus, in diem tertium constituunt, quod is festus celebratusq. per omnem Africam ludum & lasciuiam magis, quam formidinem, ostentabat. sed, ubi tempus fuit, centuriones, tribunosq. militares, & ipsum praefectum opidi T. Turpilium Silanum, alius alium domos suas inuitant: eos omnes, praeter Turpilium, inter epulas obtruncant: postea milites palantes, inermos, quippe in tali die, & sine imperio aggrediuntur. idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alij studio talium rerum incitati, quae acta, consiliumq. ignorantib. tumultus ipse, & res nouae satis placebant. Romani milites, perculsi improuiso metu, incerti, ignariq. quid potissimum facerent, trepidare. arcem opidi, ubi signa, & scuta erant, praesidium hostium, portae ante clausae fugam prohibebant. ad hoc mulieres, pueriq. pro tectis aedificiorum saxa, & alia, quae locus praebebat, certatim mittere. ita neq. caueri anceps malum, neq. a fortissimis infirmissimo generi resisti posse: iuxta boni, malique, strenui, & imbecilles multi obtruncari. in ea tanta asperitate, saeuissimis Numidis, & opido undiq. clauso, Turpilius praefectus unus ex omnib. Italicis profugit intactus. id misericordia ne hospi-

tis,

tis,an pactione,an casu ita euenerit,parum comperimus:nisi, quod illi in tanto malo turpis uita integra fama potior fuit, improb. intestabilisq. uidetur. Metellus, postquam de reb. Vaccae actis comperit,paullisper maestus e cōspectu abit: deinde,ubi ira, & aegritudo permixta sunt, cum maxima cura ultum ire iniurias festinat.legionem, cum qua hiemabat, & quam plurimos potest Numidas equites pariter cum occasu solis expeditos educit: & postera die circiter horam tertiam peruenit in quandam planitiem,locis paullo superiorib.circumuentam.ibi milites fessos itineris magnitudine,& iam abnuentes omnia,docet opidum Vaccam non amplius mille passuum abesse: decere illos reliquum laborem aequo animo pati, dum pro ciuib.suis,uiris fortissimis,atq.miserrimis,poenas capiant.praeterea praedam benigne ostentat. sic, animis eorum arrectis, equites in primo latere, pedites quamartissime pergere, & signa occultare iubet. Vaccenses ubi animaduertere ad se uorsum exercitum pergere, primo, uti res erat, Metellum esse rati,portas clausere:deinde, ubi neq. agros uastari,& eos,qui primi aderant,Numidas equites uident;rursum Iugurtham arbitrati,cum magno gaudio obuij procedunt. equites,peditesque, repente signo dato,alij uulgum effusum opido caedere:alij ad portas festinare: pars turres capere:ira, atq.spes praedae amplius, quam lassitudo, posse. ita Vaccenses biduum modo

ex perfidia laetati: ciuitas magna, atq. opulens. poenae cuncta, aut praedae fuit. Turpilius, quem praefectum opidi unum ex omnib. profugisse supra ostendimus, iussus a Metello caussam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus, uerberatusq. poenas capite soluit. nam is ciuis ex Latio erat. Per idem tempus Bomilcar, cuius impulsu Iugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat, suspectus regi, & ipse eum suspiciens, nouas res cupere: ad perniciem eius dolum quaereret: diu noctuq. fatigare animum. denique, omnia tentando, socium sibi adiungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opib. clarum, acceptumq. popularib. suis: qui plerumq. seorsum ab rege exercitum ductare, & omnes res exsequi solitus erat, quae Iugurthae fesso, aut maiorib. adstricto, superauerant: ex quo illi gloria, opesq. inuentae. igitur utriusq. consilio dies insidijs statuitur: cetera, uti res poscceret, ex tempore parari placuit. Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum iussus habebat, ne ager inultis hostib. uastaretur. is postquam, magnitudine facinoris perculsus, ad tempus non uenit; metusq. rem impediebat; Bomilcar simul cupidus incepta patrandi, & timore socij anxius, ne, omisso uetere consilio, nouum quaereret; litteras ad eum per homines fideles mittit: in quas mollitiem, socordiamq. uiri accusare: testari deos, per quos iurasset: monere, ne praemia Metelli in pestem suam

con-

conuerteret:Iugurthae exitium adesse:ceterum, sua ne,an uirtute Metelli periret, id modo agitari:proinde reputaret cum animo suo, praemia, an cruciatum,mallet. Sed,cum eae litterae allatae,forte Nabdalsa,exercito corpore fessus,in lecto quiescebat:ubi,cognitis Bomilcaris uerbis, primo cura eum,deinde,uti aegrum animum solet,somnus cepit. erat ei Numida quidam negotiorum curator fidus, acceptusque, & omnium consiliorum,nisi nouissimi,particeps. qui postquam allatas litteras audiuit; ex consuetudine ratus opera, aut ingenio suo opus esse,in tabernaculum introiuit; &, dormiente illo, epistolam, super caput in puluino temere positam,sumit,ac perlegit;dein propere, cognitis insidijs, ad regem pergit.Nabdalsa,post paullo experrectus,ubi neq. epistolam reperit,& rem omnem, uti acta erat,ex perfugis cognouit; primo indicem persequi conatus; postquam id frustra fuit, Iugurtham placandi gratia accedit: dicit, quae ipse parauisset facere, perfidia clientis sui praeuenta: lacrymans obtestatur per amicitiam, perq. sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet. Ad ea rex aliter, atq. animo gerebat, placide respondit. Bomilcare, alijsq. multis, quos socios insidiarum cognouerat, interfectis, iram oppresserat, ne qua ex eo negotio seditio oriretur. neq. post id locorum Iugurthae dies, aut nox ulla quieta fuit: neq. loco, neq. mortali cuiquam,

aut

aut tempori satis credere: ciues, hostesq. iuxta metuere: circumspectare omnia,& omni strepitu paueſcere: alio,atq.alio loco saepe contra decus regium noctu requieſcere: interdum somno excitus,arreptis armis tumultum facere: ita formidine,quasi uaecordia, exagitari. Igitur Metellus, ubi de casu Bomilcaris, & indicio patefacto ex perfugis cognouit, rursus tamquam ad integrum bellum cuncta parat, festinatque. Marium, fatigantem de profectione, simul & inuitum, & offensum, sibi parum idoneum ratus, domum dimittit. & Romae plebes,litteris, quae de Metello,ac Mario missae erant, cognitis,uolenti animo de ambob.acceperant.imperatori nobilitas,quae antea decori fuerat, inuidiae esse: at illi alteri generis humilitas fauorē addiderat: ceterum in utroq. magis studia partium,quā bona,aut mala sua,moderari.praeterea seditiosi magistratus uulgus exagitare, Metellum omnib. concionib. capitis arcessere, Marij uirtutem in maius celebrare. deniq. plebes sic accensa, uti opifices, agrestesq. omes, quorum res,fidesq. in manib. sitae erant, relictis operib.frequentarent Marium, & sua necessaria post illius honorem ducerent.ita, perculsa nobilitate, post multas tempestates nouo homini consulatus mandatur: & postea populus a tribuno pl.L.Manlio Mantino rogatus, quem uellet Iugurtha bellum gerere, frequens Marium iussit. sed senatus paullo ante Metello Numidiam de-

decreuerat. ea res frustra fuit. Eodem tempore Iugurtha, amissis amicis, quorum plerosq. ipse necauerat, ceteri formidine, pars ad Romanos, alij ad regem Bocchum profugerant; cum neq. bellum geri sine administris posset, & nouorum fidem in tanta perfidia ueterum experiri periculosum duceret, uarius incertusq. agitabatur: neq. illi res, neq. cõsilium, aut quisquam hominum satis placebat: itinera, praefectosq. in dies mutare: modo aduorsum hostes, interdum in solitudines, pergere: saepe in fuga, ac post paullo, spem in armis habere: dubitare, uirtuti, an fidei populariũ minus crederet. ita, quoçũq. intenderat, res aduersae erant. Sed inter eas moras repente sese Metellus cum exercitu ostendit. Numidae ab Iugurtha pro tempore parati, instructiq. sunt: dein proelium incipitur. qua in parte rex pugnae adfuit, ibi aliquandiu certatum: ceteri omnes eius milites primo congressu pulsi, fugatique: Romani signorum, & armorum, & aliquanto numero hostium potiti. nam ferme Numidas in omnib. proelijs magis pedes, quam arma, tutati sunt. Ea fuga Iugurtha impensius modo reb. suis diffidens, cum perfugis, & parte equitatus in solitudines, dein Thalam peruenit, in opidum magnum, & opulentum: ibiq. pleriq. thesauri, filiorum eius multus pueritiae cultus erat. Quae postquam Metello comperta suunt; quamquam inter Thalam, flumenq. proximum, in spatio millium

quin-

quinquaginta, loca arida, atq. uaſta eſſe cognouerat; tamen, ſpe patrandi belli, ſi eius opidi potitus foret, omnes aſperitates ſuperuadere, ac naturam etiam uincere aggreditur. igitur omnia iumenta ſarcinis leuari iubet, niſi frumento dierum x; ceterum utres modo, & alia aquae idonea, portari. praeterea conquirit ex agris quam plurimum poteſt domiti pecoris: eoq. imponit uaſa cuiuſq. modi, pleraq. lignea, collecta ex tugurijs Numidarum. ad hoc, finitimis imperat, qui ſe poſt regis fugam Metello dediderant, quamplurimum quiſq. aquae portaret: diem, locumque, ubi praeſto forent, praedicit. ipſe ex flumine, quam proximam opido aquam eſſe ſupra diximus, iumenta onerat. eo modo inſtructus ad Thalam proficiſcitur. deinde, ubi ad id loci uentum, quo Numidis praeceperat; & caſtra poſita, munitaq. ſunt: tanta repente caelo miſſa uis aquae dicitur, ut ea modo exercitui ſatis ſuperq. foret. praeterea commeatus ſpe amplior: quia Numidae, ſicuti pleriq. in noua deditione, officia intenderant. ceterum milites religione pluuia magis uſi; eaq. res multum animis eorum addiderat. nam rati ſeſe dijs immortalib. curae eſſe. deinde poſtero die, contra opinionem Iugurthae, ad Thalam perueniunt. opidani, qui ſe locorũ aſperitate munitos crediderant, magna atq. inſolita re perculſi, nihilo ſegnius bellũ parare: idem noſtri facere. Sed rex, nihil iam Metello infectum credens, quippe qui

omnia

omnia arma, tela, locos, tempora, deniq. naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria uicerat, cum liberis, & magna parte pecuniae ex opido noctu profugit; neq. postea in ullo loco amplius una die, aut una nocte, moratus, simulabat sese negotij gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam uitare posse celeritate putabat: nam talia consilia per otium ex opportunitate capi. At Metellus, ubi opidanos proelio intentos, simul opidum & operibus, & loco munitum uidet, uallo, fossaq. moenia circumuenit: deinde iubet locis ex copia maxime idoneis uineas agere, superq. aggerem iacere, & super aggerem impositis turrib. opus & ministros tutari. contra haec opidani festinare, parare, prorsus ab utrisq. nihil reliquum fieri. deniq. Romani, multo ante labore. proelijsq. fatigati, post dies quadraginta, quam eo uentum erat, opido modo potiti: praeda omnis a perfugis corrupta est. hi postquam murum arietib. feriri, resq. suas afflictas uident, aurum, argentumque, & alia, quae prima ducuntur, domum regiam comportant: ibi uino & epulis onerati, illaque, & domum, & semet igni corrumpunt: &, quas uicti ab hostib. poenas metuerant, eas ipsi uolentes pependere. sed pariter cum capta Thala legati ex opido Lepti ad Metellum uenerant, orantes uti praesidium, praefectumq. eo mitteret: Hamilcarem quendam, hominem nobilem, factiosum, nouis reb. studere

ſtudere, aduerſum quem neq. imperia magiſtratuum, neq. leges ualerent: id ni feſtinaret, in ſummo periculo ſuam ſalutem, illorum ſocios, fore. nam Leptitani iam inde a principio belli Iugurthini ad Beſtiam conſulem, & poſtea Romam miſerant, amicitiam, ſocietatemq. rogatum. deinde, ubi ea impetrata fuere, ſemper boni, fidelesq. manſere, & cuncta Beſtia, Albino, Metelloq. imperata gnauiter fecerant: itaq. ab imperatore facile, quae petebant, adepti. Miſſae eo cohortes Ligurum quattuor, & C. Annius praefectus. Id opidum ab Sidonijs conditum eſt, quos accepimus profugos ob diſcordias ciuiles, nauib. in eos locos ueniſſe: ceterum ſitum inter duas Syrtes: quib. nomen ex re inditum. nam duo ſunt ſinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxima terrae praealta ſunt; cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempeſtate uadoſa. nam, ubi mare magnum eſſe, & ſaeuire coepit uentis, limum, arenamque, & ſaxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum uentis ſimul mutatur: Syrtes ab tractu nominatae. eius ciuitatis lingua modo conuerſa connubio Numidarum: legum, cultusq. pleraq. Sidonica: quae eo facilius retinebant, quod procul ab imperio regis aetatem agebant. inter illos, & frequentem Numidiam multi, uaſtiq. loci erant. Sed, quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia uenimus, non indignum uidetur, egregium,

gium,atq. memorabile facinus duorum Carthaginiensium memorare. eam rem nos locus admonuit. Qua tempestate Carthaginienses pleraeq. Africae imperitabant, Cyrenenses quoq. magni,atq. opulenti fuere. ager in medio arenosus una specie:neq. flumen, neq. mons erat, qui fines eorum discerneret.quae res eos in magno,diuturnoq. bello inter se habuit. postquam utrimq. legiones,item classes saepe fusae,fugataeque, & alteri alteros aliquantulum attriuerant,ueriti ne mox uictos,uictoresq. defessos alius aggrederetur, per indutias sponsionem faciũt,uti certo die legati domo proficiscerentur: quo in loco inter se obuij fuissent,is communis utriusq. populi finis haberetur.igitur Carthagine duo fratres missi, quib. nomen Philaenis erat, maturauere iter pergere: Cyrenenses tardius iere. id socordia ne, an casu,acciderit, parum cognoui. ceterum solet in illis locis tempestas haud secus,atq. in mari,retinere. nam, ubi per loca aequalia, & nuda gignentium, uentus coortus arenam humo excitauit,ea magna ui agitata,ora oculosq. implere solet,ita,prospectu impedito,morari iter.postquam Cyrenenses aliquanto posteriores sese uident, & ob rem corruptam domi poenas metuunt; criminari Carthaginienses ante tempus domo digressos;conturbare rem;deniq. omnia malle, quam uicti abire.sed cum Poeni aliam condicionem,tantũmodo aequam,peterent,Graeci optionem Carthaginiensib.

giniēsib. faciunt; ut uel illi, quos fines populo suo peterent, ibi uiui obruerentur; uel eadem condicione sese, quem in locum uellent, processuros. Philaeni, condicione probata, seque, uitamq. suam reip. condonauere: ita uiui obruti. Carthaginienses in eo loco Philaenis fratrib. aras consecrauere: alijq. illis domi honores instituti. nunc ad rem redeo. Iugurtha postquam, amissa Thala, nihil satis firmum contra Metellum putat; per magnas solitudines cum paucis profectus, peruenit ad Getulos, genus hominum ferum, incultumque, & eo tempore ignarum nominis Romani. eorum multitudinem in unum cogit: ac paullatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium obseruare, item alia militaria facere. praeterea regis Bocchi proximos magnis muneribus, & maiorib. promissis ad studium sui perlicit: quos adiutorib. regem aggressus, impellit, uti aduersum Romanos bellum suscipiat. id ea gratia facilius, procliuiusq. fuit, quod Bocchus initio huiusce belli legatos Romam miserat, foedus, & amicitiam petitum. quam rē opportunissimam incepto bello pauci impediuerant, caeci auaritia, quos omnia honesta, atq. inhonesta uendere mos erat. etiam antea Iugurthae filia Boccho nupserat. uerum ea necessitudo apud Numidas, Maurosq. leuis ducitur: quia singuli pro opibus, quisq. quamplurimas uxores, denas alij alij plures habent; sed reges eo amplius. ita animus multitudine distrahi

tur:nullam pro ſocia obtinet: pariter omnes uiles ſunt. Igitur in locum ambob. placitum exercitus conueniunt:ibi.fide data,& accepta,Iugurtha Bocchi animum oratione accendit: Romanos iniuſtos, profunda auaritia, communes omnium hoſtes eſſe: eandem illos cauſſam belli cum Boccho habere, quam ſecum, & cum alijs gentib. libidinem imperitandi, quas omnia regna aduerſa ſint: tum ſeſe,paullo ante Carthaginienſes,item regem Perſen,poſt,uti quiſq. opulentiſsimus uideatur, ita Romanis hoſtem fore.His,atq.alijs talib.dictis,ad Cirtham opidum iter conſtituunt:quod ibi Q.Metellus praedam, captiuosq. & impedimenta locauerat.ita Iugurtha ratus,aut,capta urbe,pretium fore;aut,ſi Romanus auxilio ſuis ueniſſet, proelio ſeſe certaturos. nam callidus id modo feſtinabat,Bocchi pacem imminuere; ne, moras agitando, aliud, quam bellum, mallet. Imperator poſtquam de regum ſocietate cognouit, non temere, neq. uti ſaepe iam uicto Iugurtha conſueuerat, omnib. locis pugnandi copiam facit; ceterum, haud procul ab Cirtha caſtris munitis, reges opperitur, melius eſſe ratus, cognitis Mauris, quoniam is nouus hoſtis acceſſerat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per litteras certior fit, prouinciam Numidiam Mario datam. nam conſulem factum antea acceperat. quib. reb. ſupra bonum, atq. honeſtum perculſus, neq. lacrymas tenere, neq. moderari

derari linguam:uir egregius in alijs artibus,nimis molliter aegritudinem pati. quam rem alij in ſuperbiam uortebant: alij, bonum ingenium contumelia accenſum eſſe: multi,quod iam parta uictoria ex manib. eriperetur.nobis ſatis cognitum eſt, illum magis honore Marij, quam iniuria ſua, excruciatum; neq. tam anxie laturum fuiſſe,ſi adempta prouincia alij, quam Mario, traderetur. Igitur eo dolore impeditus, & quia ſtultitiae uidebatur, alienam rem periculo ſuo curare, legatos ad Bocchum mittit,poſtulatum,ne ſine cauſſa hoſtis populo R.fieret:habere eum magnam copiam ſocietatis, amicitiaeq. coniungendae, quae potior bello eſſet: quamquam opib. ſuis confideret, tamen non debere incerta procertis mutare:omne bellum ſumi facile, ceterum aegerrime deſinere: non in eiuſdem poteſtate initium eius, & finem eſſe: incipere, cuiuis etiam ignauo licere;deponi,cum uictores uelint:proinde ſibi, regnoq. conſuleret: neu florẽtes res ſuas cum Iugurthae perditis miſceret. Ad ea rex ſatis placide uerba facit: ſeſe pacem cupere,ſed Iugurthae fortunarum miſereri: ſi eadem illi copia fieret,omnia conuentura. Rurſus imperator, contra poſtulata Bocchi, nuncios mittit.ille probare, partim alia abnuere. eo modo ſaepe ab utroq. miſsis, remiſſisq. nuncijs, tempus procedere, & ex Metelli uoluntate bellum intactum trahi. At Marius, ut ſupra diximus, cupientiſsima plebe con-

mihi contra uidetur:nam quo uniuerſa reſp.plu ris eſt, quam conſulatus,aut praetura, eo maiore cura illam adminiſtrari,quam haec peti,debere.neq. me fallit,quantum cum ueſtro maximo beneficio negotij ſuſtineam . bellum parare ſimul & aerario parcere; cogere ad militiam eos, quos nolis offendere;domi, forisq. omnia curare;& ea agere inter inuidos,occurſantes, factioſos;opinione,Quirites,aſperius eſt.Ad hoc,alij ſi deliquere, uetus nobilitas, maiorum fortia facta,cognatorum,& affinium opes,multae clientelae, omnia haec praeſidio adſunt : mihi ſpes omnes in memet ſitae: quas neceſſe eſt & uirtute,& innocentia tutari:nam alia infirma ſunt.Et illud intelligo,Quirites,omnium ora in me conuerſa eſſe; aequos, bonosq. fauere : quippe mea benefacta reip.procedunt:nobilitatem inuadẽdi me quaerere locum. quo mihi acrius adnitendum eſt, uti neq. uos capiamini, & illi fruſtra ſint.ita ad hoc aetatis a pueritia fui, ut omnes labores,pericula,conſueta habeam.quae ante ueſtra beneficia gratuito faciebam,ea uti, accepta mercede, deſeram,non eſt conſilium, Quirites. Illis difficile eſt in poteſtatib. tẽperare, qui per ambitionẽ ſeſe probos ſimulauere: mihi, qui omnem aetatẽ in optimis artib.egi,bene facere iã ex conſuetudine in naturã uertit.Bellũ me gerere cũ Iugurtha iuſſiſtis:quãm rem nobilitas aegerrime tulit.quaeſo,reputate cũ animisueſtris, num id mutari melius ſit,ſi quẽ ex illo globo no

mnant; ita hos petunt, quasi honeste uixerint. nae illi falsi sunt, qui diuersissimas res pariter expetant, ignauiae uoluptatem, & praemia uirtutis. Atq. etiam cum apud uos, aut in senatu uerba faciunt, pleraq. oratione maiores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores sese putant: quod contra est. nam, quanto uita illorum praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior. & profecto ita se res habet. maiorum gloria posteris quasi lumen est, neq. bona eorum, neq. mala in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior, Quirites: uerum id, quod multo praeclarius est, meamet facta mihi dicere licet. nunc uidete, quam iniqui sint. quod ex aliena uirtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas est: quam certe peperisse, quam acceptam corrupisse, melius est. Equidem ego non ignoro, si iam mihi respondere uelint, abunde illis facundam, & compositam orationem fore. sed in maximo uestro beneficio, cum omnib. locis me, uosq. maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modestiam in conscientiam duceret. nam me quidē, ex animi mei sententia, laedere nulla oratio potest. quippe uera, necesse est, bene praedicet: falsam uita, moresq. mei superant. sed, quoniam uestra consilia accusantur, qui mihi summū honorem, & maximum negotium imposuistis: etiam atq. etiam reputate, num eorum paenitēdum sit.

Non,

Non possum, fidei causſa, imagines, neq. triumphos, aut consulatus, maiorum meorum ostentare; at, si res postulet, hastas, uexillum, phaleras, alia militaria dona, praeterea cicatrices aduerso corpore. haec sunt meae imagines, haec mea nobilitas, nō hereditate relicta, ut illa illis, sed quae ego plurimis meis laboribus, & periculis, quaesiui. Nō sunt composita uerba mea: parui id facio: ipsa se uirtus satis ostendit: illis artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant. Neq. litteras Graecas didici. parum placebat eas discere, quippe quae ad uirtutem doctorib. nihil profuerunt. at illa multo optima reip. doctus sum, hostem ferire, praesidia agitare, nihil metuere, nisi turpem famam; hiemem, & aestatem, iuxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam, & laborem, tolerare. his ego praeceptis milites hortabor: neq. illos arte colam, me opulenter; neq. gloriam meam, laborem illorum faciam. hoc est utile, hoc ciuile imperium. namque, cum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id est dominum esse, non imperatorem. haec, atq. alia, maiores uestri faciēdo, seque, & remp. celebrauere. quas nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum aemulos contemnit; & omnes honores, non ex merito, sed quasi debitos, a uobis repetit. ceterum homines superbissimi procul erant. Maiores eorū omnia, quae licebat, illis reliquere, diuitias, imagines, memoriam sui praeclaram:

claram: uirtutem non reliquere: neq. poterant: ea sola neq. datur dono, neq. accipitur. Sordidum me, & incultis morib. aiunt; quia parum scite conuiuium exorno, neq. histrionem ullum, neq. pluris pretij coquum, quam uillicum, habeo. quae mihi lubet confiteri, Quirites. nam & ex parente meo, & alijs sanctis uiris, ita accepi, munditias mulieribus, uiris laborem conuenire; omnibusq. bonis oportere plus gloriae, quam diuitiarum, esse; arma, non supellectilem, decori esse. Quin ergo, quod iuuat, quod carum aestumant, id semper faciant: ament, potent: ubi adolescentiam habuere, ibi senectutē agant, in conuiuijs, dediti uentri, & turpissimae parti corporis: sudorem, puluerem, & alia talia, relinquant nobis, quib. illa epulis iucundiora sunt. uerum non est ita. nā, ubi se omnib. flagitijs dedecorauere turpissimi uiri, bonorum praemia ereptum eunt. ita iniustissime luxuria, & ignauia, pessimae artes, illis, qui coluere eas, nihil officiunt, reip. innoxiae cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quātum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respōdi; pauca de rep. loquar. Primum omnium de Numidia bonum habete animum, Quirites: nam, quae ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt, omnia remouistis, auaritiam, imperitiam, atq. superbiam. deinde exercitus ibi est, locorum sciens, sed mehercule magis strenuus, quam felix: nam magna pars eius auaritia, aut temeritate, ducum attrita est.

Quamobrem

Quamobrem uos,quib.militaris eſt aetas,adnitimini mecum, & capeſsite remp. neq. quemquam ex calamitate aliorum, aut imperatorum ſuperbia metus ceperit. egomet in agmine, in proelio conſultor idem, & ſocius periculi uobiſcum adero;me, uosq. in omnib.reb.iuxta geram. & profecto, dijs iuuantibus, omnia matura ſunt, uictoria, praeda, laus: quae ſi dubia, aut procul eſſent, tamen omnes bonos reip.ſub uenire decebat. etenim nemo ignauia immortalis factus: neq. quiſquam parens liberis, uti aeterni forent, optauit; magis, uti boni, honeſtiq. uitam exigerent. Plura dicerem,Quirites, ſi timidis uirtutem uerba adderent: nam ſtrenuis abunde dictum puto. Huiuſcemodi oratione habita, Marius poſtquam plebis animos arrectos uidet, propere commeatu,ſtipendio, armis, alijsq. utilib. naues onerat: cum his A. Manlium legatum proficiſci iubet. ipſe interea milites ſcribere non more maiorũ,neq. ex claſſibus, ſed uti cuiuſq. libido erat, capitecenſos pleroſq. id factum alij inopia bonorum,alij per ambitionem conſulis memorabant;quod ab eo genere celebratus, auctusq. erat; & homini potentiam quaerenti egentiſsimus quiſq. opportuniſsimus; cui neq. ſua curae,quippe quae nulla ſunt, & omnia cum pretio honeſta uidentur. Igitur Marius cum aliquanto maiore numero, quam decretum erat, in Africam profectus, paucis dieb.Vticam aduehitur.exercitus ei tra-

ditur

ditur a P. Rutilio legato. nam Metellus conſpectum Marij fugerat; ne uideret ea, quae audita animus tolerare nequiuerat. Sed conſul, expletis legionibus, cohortibusq. auxiliarijs, in agrum fertilem, & praeda onuſtum, proficiſcitur. omnia ibi capta militib. donat: dein caſtella, & opida, natura, & uiris parum munita, aggreditur: proelia multa, ceterum alia leuia alijs locis facere. interim noui milites ſine metu pugnae adeſſe: uidere fugientes capi, aut occidi; fortiſsimum quemq. tutiſsimum: armis libertatem, patriam, parentesque, & alia omnia tegi, gloriam, atq. diuitias quaeri. ſic breui ſpatio noui, ueteres q. coaluere, & uirtus omnium aequalis facta. At reges, ubi de aduentu Marij cognouerunt, diuerſi in locos difficiles abeunt. ita Iugurthae placuerat, ſperanti, mox effuſos hoſtes inuadi poſſe; Romanos, ſicuti pleroſque, remoto metu laxius, licentiusq. futuros. Metellus, interea Romam profectus, contra ſpem ſuam laetiſsimis animis accipitur, plebi, patribusque, poſtquam inuidia deceſſerat, iuxta carus. Sed Marius impigre, prudenterq. ſuorum, & hoſtium res pariter attendere, cognoſcere quid boni utriſque, aut contra eſſet: explorare itinera regum, conſilia & inſidias eorum anteuenire: nihil apud ſe remiſſum, neq. apud illos tutum pati. itaq. & Getulos, & Iugurtham, ex ſocijs noſtris praedas agentes, ſaepe aggreſſus in itinere fuderat, ipſumq. regem haud procul ab opido Cirtha

tha armis exuerat. Quae postquam glorioſa modo, neq. belli patrandi cognouit; ſtatuit urbes, quae uiris, aut loco pro hoſtibus, & aduerſum ſe opportuniſsimae erant, ſingulas circumuenire; ita ratus Iugurtham aut praeſidijs nudatum iri, ſi ea pateretur, aut proelio certaturum. nam Bocchus nuncios ſaepe ad eum miſerat, uelle populi R. amicitiam, ne quid ab ſe hoſtile timeret. id ſimulauerit ne, quo improuiſus grauior accederet, an mobilitate ingenij pacem, atq. bellum mutare ſolitus, parum exploratum eſt. Sed conſul, uti ſtatuerat, opida, caſtellaq. munita adire: partim ui, alia metu, aut praemia oſtentando, auertere ab hoſtibus. ac primo mediocria gerebat; exiſtimans Iugurtham ob ſuos tutandos in manus uenturum. ſed, ubi illum procul abeſſe, & alijs negotijs intentum accepit; maiora, & magis aſpera aggredi tempus uiſum eſt. Erat inter ingentes ſolitudines opidum magnum atq. ualidum, nomine Capſa: cuius conditor Hercules Libys memorabatur. eius ciues apud Iugurtham immunes, leni imperio, & ob ea fideliſsimi habebantur: munitio aduorſum hoſtes non moenib. modo, & armis, atq. uiris, uerum etiam multo magis locorum aſperitate. nam, praeter opido propinqua, alia omnia uaſta, inculta, egentia aquae, infeſta ſerpentibus: quarum uis, ſicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior: ad hoc, natura ſerpentium ipſa perniciosa, ſiti magis, quam alia re,

re,accenditur.eius opidi potiundi Marium maxima cupido inuaſerat,cum propter uſum belli, tum quia res aſpera uidebatur: & Metellus opidum Thalam magna gloria ceperat, haud diſsimiliter ſitum,munitumque:niſi quod apud Thalam non longe a moenib. aliquot fontes erant. Capſenſes una modo,atq. ea intra opidum iugi aqua,cetera pluuia utebantur.idq.ibi,& in omni Africa,quae procul a mare incultius agebat, eo facilius tolerabatur,quia Numidae plerumq. lacte, & ferina, ueſcebantur, neq. ſalem, neq. alia gulae irritamenta,quaerebant.cibus illis aduerſum famem,atq. ſitim,non libidini,neq. luxuriae, erat. Igitur conſul, omnib. exploratis, credo dijs fretus, (nam contra tantas difficultates conſilio ſatis prouidere non poterat) quippe etiam frumenti inopia tentabatur, quod Numidae pabulo pecoris magis, quam aruo, ſtudent, &, quodcumq. natum fuerat, iuſſu regis in loca munita contulerant: ager autem aridus, & frugum uacuus ea tempeſtate: (nam aeſtatis extremum erat) tamen pro rei copia ſatis prouidenter exornat: pecus omne, quod ſuperiorib. dieb. praedae fuerat, equitib. auxiliarijs agendum attribuit: A. Manlium legatum cum cohortib. expeditis ad opidum Laris, ubi ſtipendium, & commeatum locauerat, ire iubet: dicitq. ſe praedabundum poſt paucos dies eodem uenturum. ſic incepto ſuo occultato, pergit ad flumen Thanam. ceterum in

iti-

itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas aequaliter distribuerat;&,ex corijs utres uti fierent, curabat: simul & inopiam frumenti lenire,&, ignaris omnibus, parare, quae mox usui forent. deniq. sexto die, cum ad flumen uentum est,maxuma uis utrium effecta. ibi castris leui munimento positis, milites cibum capere, atque, uti simul cum occasu solis egrederentur,paratos esse iubet,omnib. abiectis sarcinis,aqua modo seque,& iumenta onerare.dein,postquam tempus uisum, castris egreditur: noctemq. totam itinere facto consedit. idem proxima facit. dein tertia multo ante lucis aduentum peruenit in locum tumulosum, a Capsa non amplius duum millium interuallo: ibiq. quam occultissime potest, cum omnib. copijs opperitur.Sed,ubi dies coepit;&Numidae,nihil hostile metuentes,multi opido egressi; repente omnem equitatum, & cum his uelocissimos pedites cursu tendere ad Capsam; & portas obsidere iubet: deinde ipse intentus propere sequi, neq. milites praedari sinere.Quae postquam opidani cognouere; res trepidae, metus ingens, malum improuisum, ad hoc pars ciuium extra moenia in hostium potestate coegere, uti deditionem facerent. ceterum opidum incensum: Numidae puberes interfecti, alij omnes uenundati: praeda militib. diuisa. id facinus contra ius belli non auaritia, neq. scelere consulis admissum; sed, quia locus Iugurthae

gurthae opportunus, nobis aditu difficilis; genus hominum mobile, infidum, ante neq. beneficio, neq. metu coercitum. Postquam tantam rem Marius sine ullo suorum incommodo peregit; magnus, & clarus antea, maior, atq. clarior haberi coepit: omnia non bene consulta in uirtutem trahebantur. milites modeste imperio habiti, simul & locupletes, ad caelum ferre: Numidae magis, quam mortalem, timere: postremo omnes socij, atq. hostes, credere, illi aut mentem diuinam esse, aut deorum nutu cuncta portendi. Sed consul, ubi ea res bene euenit, ad alia opida pergit: pauca, repugnantib. Numidis, capit: plura, deserta propter Capsensium miserias, igni corrumpit: luctu, atq. caede omnia complentur. deniq. multis locis potitus, ac plerisq. exercitu incruento, aliam rem aggreditur, non eadem asperitate, qua Capsensium, ceterum haud secus difficilem. namq. haud lõge a flumine Mulucha, quod Iugurthae, Bocchiq. regnum disiungebat, erat inter ceteram planitiem mons saxeus, mediocri castello, satis patens, in immensum editus, uno perangusto aditu relicto: nam omnis natura, uelut opere, atq. consulto, praeceps. quem locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa ui capere intendit: sed ea res forte, quam consilio, melius gesta. nam castello uirorum, atq. armorum, satis magna uis erat, & frumenti, & fons aquae: aggeribus, turribusque, & alijs machina-

tionib. locus importunus: iter castellanorum angustum admodum, utrimq. praecisum: uineae cum ingenti periculo frustra agebantur. nam cum eae paullo processerant, igni, aut lapidib. corrumpebantur. milites neq. pro opere consistere, propter iniquitatem loci; neq. inter uineas sine periculo administrare: optumus quisq. aut cadere, aut sauciari; ceteris metus augeri. At Marius, multis diebus, & laborib. consumptis, anxius trahere cum animo suo, omitteret ne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, qua saepe prospere usus fuerat. quae cum multos dies noctesq. aestuans agitaret, forte quidam Ligus, ex cohortib. auxiliarijs miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod aduersum proeliantib. erat, animaduertit inter saxa repentes cochleas: quarum cum unam, atq. alteram, dein plures, peteret, studio legundi paullatim prope ad summum montis egressus est. ubi post quam solitudinem intellexit; more humanae cupidinis ignara uisundi, animum aduertit. & forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paullum modo prona, deinde inflexa, atq. aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert: cuius ramis modo, modo eminentib. saxis nisus Ligus, castelli planitiem perscribit; quod cuncti Numidae, intenti proeliantibus, aberant. exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebat, eadem regreditur, non temere,

mere, uti adscenderat, sed tentans omnia, & circumspiciens. itaque Marium propere adit: acta edocet: hortatur, ab ea parte, qua ipse descenderat, castellum tentet: pollicetur sese itineris, periculiq. ducem. Marius cum Ligure promissa eius cognitum ex praesentib. misit: quorum, uti cuiusque ingenium erat, ita rem difficilem renunciauere. consulis animus tamen paullulum arrectus est. itaq. ex copia tubicinum, cornicinum, numero quinq. quamuelocissimos delegit, & cum his, praesidio qui forent, quattuor centuriones: omnesq. Liguri parere iubet: & ei negotio proximum diem constituit. sed, ubi ex praecepto tempus uisum est; paratis, compositisq. omnibus, ad locum pergit. ceterum illi, qui centurijs praerant, praedocti ab duce, arma, ornatumq. mutauerunt, capite, atq. pedib. nudis, uti prospectus, nisusq. per saxa facilius foret: super terga gladij, & scuta, uerum ea Numidica ex corijs, ponderis gratia, simul & offensa, quo leuius streperent. igitur praegrediens Ligus, saxa, & si quae uetustae radices eminebant, laqueis uinciebat, quibus alleuati milites facilius adscenderent: interdum timidos insolentia itineris leuare manu: ubi paullo asperior adscensus erat, singulos prae se inermes mittere, deinde ipse cũ illorum armis sequi: quae dubia nisui uidebantur, potissimum tentare: ac saepius eadem adscẽdens, descẽdẽsque, dein statim degrediẽs,

ceteris audaciam addere. igitur diu, multumq. fatigati, tandem in castellum perueniunt, desertum ab ea parte: quod omnes, sicuti alijs diebus, aduersum hostes aderant. Marius, ubi ex nuncijs, quae Ligus egerat, cognouit, quamquam toto die intentos proelio Numidas habuerat, tum uero cohortatus milites, & ipse extra uineas egressus, testudine acta succedere, & simul hostem tormentis, sagittarijsque, & funditorib. eminus terrere. at Numidae, saepe antea uineis Romanorum subuersis, item incensis, non castelli moenib. sese tutabantur, sed pro muro dies noctesq. agitare; maledicere Romanis; ac Mario uaecordiam obiectare; militib. nostris Iugurthae seruitium minari; secundis reb. feroces esse. interim, omnib. Romanis, hostibusq. proelio intentis, magna ui utrimq. pro gloria atq. imperio his, illis pro salute certantibus, repente a tergo signa canere. ac primo mulieres, & pueri, qui uisum processerant, fugere, deinde, uti quisq. muro proximus erat, postremo cuncti armati, inermesque. quod ubi accidit; eo acrius Romani instare, fundere, ac plerosq. tantummodo sauciare, dein super occisorum uadere corpora, auidi gloriae certantes murum petere; neq. quemquam omnium praeda morari. sic forte correcta Marij temeritas gloriam ex culpa inuenit. Ceterum, dum ea res geritur, L. Sylla quaestor cum magno equitatu in castra uenit: qui, uti ex Latio, & socijs, cogeret

exercitum,

exercitum, Romae relictus erat. Sed, quoniam nos tanti uiri res admonuit; idoneum uisum est, de natura, cultuq. eius paucis dicere. neq. enim alio loco de Syllae reb. dicturi sumus: & L. Sisenna, optime, & diligentissime omnium, qui eas res dixere, persecutus historiam, parum mihi libero ore locutus uidetur. Igitur Sylla gentis patriciae nobilis fuit, familia prope iam exstincta maiorum ignauia, litteris Graecis, atq. Latinis iuxta, atq. doctissime eruditus, animo ingenti; cupidus uoluptatum, sed gloriae cupidior: otio luxurioso esse; tamen ab negotijs numquam uoluptas remorata, nisi quod de uxore potuit honestius consuli: faciundus, callidus, & amicitia facilis: ad simulanda negotia altitudo ingenij incredibilis: multarum rerum, ac maxime pecuniae largitor. atq. illi, felicissimo omnium ante ciuilem uictoriam, numquam super industriam fortuna fuit: multiq. dubitauere, fortior, an felicior, esset. nam, postea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis, an pigeat, differere. Igitur Sylla, uti supra dictum est, postquam in Africam, atq. in castra Marij, cum equitatu uenit, rudis antea, & ignarus belli, sollertissimus omnium in paucis tempestatib. factus est. ad hoc, milites benigne appellare: multis rogantibus, alijs per se ipse beneficia dare, inuitus accipere; sed ea properantius, quam aes mutuum, reddere, ipse ab nullo repetere: magis id laborare, uti illi quamplurimi debe-

rent: ioca, atq. seria cum humillimis agere: in operibus, in agmine, atq. ad uigilias, multus adesse: neq. interim, quod praua ambitio solet, consulis, aut cuiusquam boni, famam laedere: tantummodo neq. consilio, neq. manu, alium priorem pati: plerosq. anteuenire. quib. rebus, & artib. breui Mario, militibusq. carissimus factus. At Iugurtha postquam opidum Capsam, aliosq. locos munitos, & sibi utiles, simul & magnam pecuniam amiserat; ad Bocchum nuncios mittit, quamprimum in Numidiam copias adduceret: proclij faciundi tempus adesse. quem ubi cunctari accepit, & dubium belli, atq. pacis rationes trahere: rursus, uti antea, proximos eius donis corrumpit: ipsiq. Mauro pollicetur Numidiae tertiam partem, si aut Romani Africa expulsi, aut, integris suis finibus, bellum compositum foret. eo praemio illectus Bocchus cum magna multitudine Iugurtham accedit. ita, amborum exercitu coniuncto, Marium, iam in hiberna proficiscentem, uix decima parte die reliqua inuadūt; rati noctem, quae iam aderat, & uictis sibi munimento fore, &, si uicissent, nullo impedimento, quia locorum scientes erant; contra Romanis utrumq. casum in tenebris difficiliorem fore. igitur simul consul ex multis de hostium aduentu cognouit: & ipsi hostes aderant: & prius quam exercitus aut instrui, aut sarcinas colligere, denique, ante quam signum, aut imperium ullnm accipe-

re

re quiuit, equites Mauri, atq. Getuli, non acie, neq. ullo more proelij, sed cateruarim, uti quosque fors conglobauerat, in nostros concurrunt, qui omnes, trepidi improuiso metu, attamen uirtutis memores, aut arma capiebant, aut capientes alios ab hostib. defensabant: pars equos adscendere, ire obuiam hostibus: pugna latrocinio magis, quam proclio, similis fieri: sine signis, sine ordinibus, equites, pedites permixti caedere alios, obtruncare multos: contra aduersos acerrime pugnantes a tergo circumuenire: neq. uirtus, neq. arma satis tegere; quia hostes numero plures, & undiq. circumfusi erant. deniq. Romani ueteres, nouique, & ob ea scientes belli, si quos locus, aut casus coniunxerat, orbem facere: atq. ita ab omnib. partib. simul tecti, & instructi, hostium uim sustentabant. neq. in eo tam aspero negotio Marius territus, aut magis, quam antea, demisso animo fuit; sed cum turma sua, quam ex fortissimis magis, quam familiarissimis, parauerat, uagari passim: ac modo laborantib. suis succurrere, modo hostes, ubi confertissimi obstiterant, inuadere manu: consulere militibus, quoniam imperare conturbatis omnib. non poterat. Iamq. dies consumptus erat, cum tamen barbari nihil remittere: atque, uti reges praeceperant, noctem pro se rati acrius instare. tum Marius ex copia rerum consilium trahit: atque, uti suis receptui locus esset, colles duos inter se propinquos oc-

cupat. quorum in uno, caſtris parum lamplo, fons aquae magnus erat: alter uſui opportunus, quia, magna parte editus, & praeceps, pauca munimenta quaerebat. ceterum apud aquam Syllam cum equitib. noctem agitare iubet. ipſe paullatim diſperſos milites, neq. minus hoſtib. conturbatis, in unum contrahit: dein cuſtos pleno gradu in collem ſubducit. ita reges, loci difficultate coacti, proelio deterrentur; neq. tamen ſuos longius abire ſinunt, ſed, utroq. colle multitudine circumdato, effuſi conſedere. dein, crebris ignib. factis, plerumq. noctis barbari more ſuo laetari, exſultare, ſtrepere uocibus: & ipſi duces feroces, quia non fugere, ac pro uictorib. agere. ſed ea cuncta Romanis ex tenebris, & editioribus locis, facilia uiſu, magnoq. hortamento erant. plurimum uero Marius hoſtium imperitia confirmatus, quammaximum ſilentium haberi iubet: ne ſigna quidem, uti per uigilias ſolebant, canere: deinde, ubi lux aduentabat, defeſſis iam hoſtibus, ac paullo ante ſomno captis, de improuiſo uectigales, item cohortium, turmarum, legionum tubicines ſimul omnes ſigna canere, milites clamorem tollere, atq. portis erumpere iubet. Mauri, atq. Getuli, ignoto, & horribili ſonitu repente exciti, neq. fugere, neq. arma capere, neq. omnino facere, aut prouidere quidquam poterant: ita cunctos ſtrepitu, clamore, nullo ſubueniente, noſtris inſtantibus, tumultu, terrore,

formi-

formidine,quaſi uaecordia, ceperat. deniq. omnes fuſi,fugatique:arma,& ſigna militaria pleraq. capta:pluresq. eo proelio, quam omnib. ſuperioribus,interempti.nam ſomno,& metu inſolito,impedita fuga.dein Marius,uti coeperat, in hiberna proficiſcitur,quae propter commeatum in opidis maritimis agere decreuerat.neq. tamen uictoria ſocors, aut inſolens,factus, ſed pariter,atq. in conſpectu hoſtium,quadrato agmine incedere. Sylla cum equitatu apud dextimos, in ſiniſtra parte A. Manlius cum funditoribus,& ſagittarijs, praeterea cohorte Ligurum curabat: primos,& extremos cum expeditis manipulis locauerat tribunos. perfugae,regionum ſcientiſsimi, hoſtium iter explorabant. ſimul conſul, quaſi nullo impoſito, omnia prouidere: apud omnes adeſſe, laudare, increpare merentes. ipſe armatus, intentusq. item milites cogebat, neq. ſecus, atq. ſi hoſtes adeſſent, iter facere, caſtra munire, excubitum in porta cohortes ex legionibus, pro caſtris equites auxiliarios mittere; praeterea alios ſuper uallum in munimentis locare,uigilias ipſe circuire,non tã diffidentia futurorum,quae imperauiſſet,quam uti militib. exaequatus cum imperatore labor uolentib. eſſet. Et ſane Marius illoq. alijsq.temporib.Iugurthini belli,pudore magis,quam malo, exercitum coercebat: quod multi per ambitionem fieri aiebant:quod a pueritia conſuetam duritiam, & alia, quae ceteri miſerias uocant,

uolu-

uoluptati habuisset. nisi tamen resp. pariter, ac saeuissimo imperio, bene atq. decore gesta. Igitur quarto deniq. die haud longe ab opido Cirtha undiq. simul speculatores citi sese ostendūt: quare hostis adesse intelligitur. sed, quia diuersi redeuntes, alius ab alia parte, atq. omnes idem significabant; consul incertus, quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato, aduersum omnia paratus ibidem opperitur. igitur Iugurtham spes frustrata, qui copias in quattuor partes distribuerat; ratus ex omnib. aeque aliquos ab tergo hostib. uenturos. Interim Sylla quem primum hostes attigerant, cohortatus suos, turmatim, & quammaxime confertis equis, ipseq. alijq. Mauros inuadunt: ceteri in loco manentes, ab iaculis eminus emissis corpora tegere, &, si qui in manus uenerant, obtruncare. Dum eo modo equites proeliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux, filius eius, adduxerat, neq. in priore pugna, in itinere morati, ad fuerant, postremam Romanorum aciem inuadit. tum Marius apud primos agebat, quod ibi Iugurtha cum plurimis erat. dein Numida, cognito Bocchi aduentu, clam cum paucis ad pedites conuertit: ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat, nostros frustra pugnare: paullo ante Marium sua manu interfectum: simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna, satis impigre occiso pedite nostro, cruentauerat. quod ubi milites accepere,

pere,magis atrocitate rei,quàm fide nuncij;terrentur:simulq. barbari animos tollere,& in perculsos Romanos acrius incedere.iamq.paullum a fuga aberant,cum Sylla,profligatis ijs,quos aduersum ierat,rediens ab latere Mauris incurrit. Bocchus statim auertitur.at Iugurtha,dum sustentare suos,& propeiam adeptam uictoriam retinere cupit,circumuentus ab equitib. dextra siniſtra, omnib. occisis,solus inter tela hostium uitabundus erumpit. atq. interim Marius, fugatis equitibus,accurrit auxilio suis, quos pelli iam acceperat. deniq. hostes iam undiq. fusi, tum spectaculum horribile in campis patentibus; sequi, fugere; occidi, capi; equi, atq. uiri afflicti: ac multi, uulnerib. acceptis, neq. fugere posse, neq. quietem pati, niti modo, ac statim concidere: postremo omnia, qua uisus erat, constrata telis, armis, cadaueribus,& inter ea humus infecta sanguine. Postea loci consul, haud dubie iam uictor, peruenit in opidum Cirtham, quo initio profectus intenderat. eo post diem quinctum, quam iterum barbari male pugnauerant, legati a Boccho ueniunt:qui regis uerbis ab Mario petiuere, duos quamfidissimos ad eum mitteret:uelle de suo,& de populi R.commodo cum ijs disserere.ille statim L.Syllam,&A.Manlium ire iubet.qui quam quam acciti ibant; tamen placuit, uerba apud regem facere; uti ingenium aut auersum flecterent, aut cupidum pacis uchementius accende-

cenderent. itaq. Sylla, cuius facundiae, non aetati, a Manlio conceſſum, pauca uerba huiuſcemodi locutus. Rex Bocche, magna laetitia nobis eſt, cum te, talem uirum, dij monuere, ut aliquando pacem, quam bellum, malles; neu te optimum cum peſsimo omnium Iugurtha miſcendo commaculares; ſimul nobis demeres acerbam neceſſitudinem, pariter & te errantem, & illum ſceleratiſsimum perſequi. ad hoc, populo R. iam a principio inopi, melius uiſum eſt, amicos, quam ſeruos, quaerere: tutiusq. rati, uolentibus, quam coactis, imperitare. tibi uero nulla opportunior amicitia noſtra: primum, quod procul abſumus; in quo offenſae minimum, gratia par, ac ſi prope adeſſemus: dein, quod parentes abunde habemus; amicorum neq. nobis, neq. cuiquam omnium ſatis fuit. atq. hoc utinam a principio tibi placuiſſet: profecto ex populo R. ad hoc tempus multo plura bona accepiſſes, quam mala perpeſſus es. ſed, quoniam humanarum rerum fortuna pleraq. regit; cui ſcilicet placuit & uim, & gratiam noſtram te experiri: nunc, quando per illam licet, feſtina, atque, uti coepiſti, perge. multa, atq. opportuna habes, quo facilius errata officijs ſuperes. poſtremo hoc in pectus tuum demitte, numquam populum R. beneficijs uictum eſſe. nam, bello quid ualeat, tute ſcis. Ad ea Bocchus placide, & benigne ſimul, pauca pro delicto ſuo uerba facit: ſe non hoſtili animo, ſed ob regnum tutandum

tandum arma cepisse: nam Numidiae partem, unde Iugurtham expulerit, iure belli suam factam: eam uastari a Mario, pati nequiuisse: praeterea, missis ante Romam legatis, repulsum ab amicitia: ceterum uetera omittere, ac tum, si per Marium liceret, legatos ad senatum missurum. Dein, copia facta, animus barbari ab amicis flexus, quos Iugurtha, cognita legatione Syllae, & Manlij, metuens id, quod parabatur, donis corruperat. Marius interea, exercitu in hibernaculis composito, cum expeditis cohortibus, & parte equitatus proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam, quo Iugurtha perfugas omnes praesidium imposuerat. tum rursus Bocchus scilicet, seu reputando, quae sibi duobus proelijs euenerant, seu admonitus ab alijs amicis, quos incorruptos Iugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorum quinque delegit, quorum & fides cognita, & ingenia ualidissima erant. eos ad Marium, ac dein, si placeat, Romam legatos ire iubet: agendarum rerũ, & quocumque modo belli componendi, licentiam illis ipsis permittit. illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur. deinde, a latronib. Getulis in itinere circumuenti, spoliatique, pauidi, sine decore, ad Syllam profugiunt; quem consul, in expeditionem proficiscens, pro praetore reliquerat. eos ille non pro uanis hostib. uti meriti erãt, sed accurrate, & liberaliter habuit quare barbari & famam Romanorum auaritiae falsam, & Syl-

lam

lam ob munificentiam in sese amicum rati. nam etiam tum largitio multis ignota erat: munificus nemo putabatur, nisi pariter uolens: dona omnia in benignitate habebantur. igitur quae stori mandata Bocchi patefaciunt: simul ab eo petunt, uti fautor, consultorq. sibi absit: copias, fidem, magnitudinem regis sui, & alia, quae aut utilia, aut beneuolentiae esse credebant, oratione extollunt: dein, Sylla omnia pollicito, docti quo modo apud Marium, item apud senatum uerba facerent, circiter dies XL. ibidem operiuntur. Marius ubi, confecto negotio, quo intenderat, Cirtham redijt; de aduentu legatorum certior factus, illosque, & Syllam ad se uenire iubet: itemq. L. Bellienum praetorem ab Vtica, praterea omnes undiq. senatorij ordinis; quibuscum mandata Bocchi cognoscit: legatis potestas eundi Romam fit: ab consule interea indutiae postulabantur. ea Syllae, & plerisq. placere: pauci uero ferocius decernunt, scilicet ignari humanarum rerum, quae fluxae, & mobiles, saepius in aduersa mutantur. ceterum Mauri, impetratis omnibus, tres Romam profecti sunt cũ C. Octauio Rufo, qui quaestor stipendium in Africam portauerat: duo ad regem redeunt. ex his Bocchus cum cetera, tum maxime benignitatem, & studium Syllae lubens accepit. Romae quoq. legatis eius, postquam, erraſſe regem, & Iugurthae scelere lapsum, deprecati sunt, amicitiam & foedus petentib. hoc modo respondetur.

tur. Senatus & populus R. beneficij, & iniuriae memor esset solet: ceterum Boccho, quoniam paenitet delicti, gratiam facit: foedus, & amicitia dabuntur, cum promeruerit. Quib. reb. cognitis, Bocchus per litteras a Mario petiuit, ut Syllam ad se mitteret; cuius arbitratu de communib. negotijs consuleretur. is missus cum praesidio equitum, atq. peditum, funditorum, balearıorum: praeterea iere sagittarij, & cohors Paeligna cum uelitarib. armis, itineris properandi caussa: neq. his secus, atq. alijs armis, aduersus tela hostium, quod ea leuia sunt, muniti. sed in itinere quincto deniq. die Volux, filius Bocchi, repente in campis patentib. cum mille non amplius equitib. sese ostendit: qui temere & effuse euntes, Syllae, alijsq. omnib. & numerum ampliorem uero, & hostilem metum efficiebant. igitur se quisq. expedire: arma, atq. tela, tentare, intendere: timor aliquantus, sed spes amplior, quippe uictoribus, & aduersum eos, quos saepe uicerant. interim equites, exploratum praemissi, rem, uti erat, quietam nunciant. Volux adueniens quaestorem appellat; dicitq. se a patre Boccho obuiam illi simul, & praesidio missum. deinde eum, & proximum diem sine metu cõiuncti eunt. post, ubi castra locata, & diei uesper erat; repente Maurus, incerto nultu pauens, ad Syllam accurrit; dicitq. sibi a speculatorib. cognitum, Iugurtham haud procul abesse; simul, uti noctu

clam

clam secum profugeret, rogat, atq. hortatur. ille animo feroci negat se toties fusum Numidam pertimescere: uirtuti suorum satis credere: etiam si certa pestis adesset, mansurum potius, quam, proditis quos ducebat, turpi fuga incertae, ac forsitan post paullo morbo interiturae uitae parceret. ceterum, ab eodem monitus, uti nocte proficiscerentur, consilius adprobat: ac statim milites cenatos esse in castris, ignesq. quam creberrimos fieri, deinde prima uigilia silentio egredi iubet. Iamq. nocturno itinere fessis omnibus, Sylla pariter cum ortu solis castra metabatur; cum equites Mauri nunciant, Iugurtham, circiter duum millium interuallo, ante eos consedisse. quod postquam auditum est; tum uero ingens metus nostros inuadit: credere se proditos a Voluce, & insidijs circumuentos. ac fuere, qui dicerent manu uindicandum, neq. apud illum tantum scelus inultum relinquendum. At Sylla, quamquam eademexistimabat, tamen ab iniuria Maurum prohibet: suos hortatur, uti fortem animū gererent: saepe ante a paucis strenuis aduersus multitudinem bene pugnatum: quanto sibi in proelio minus pepercissent, tanto tutiores fore: nec decere, quem manus armauerat, ab inermis pedib. auxilium petere, in maximo metu nudum, & caecum corpus ad hostes uertere. dein Volucem, quoniam hostilia faceret, Iouem maximum obtestatus, ut sceleris, atq. perfidiae Bocchi testis adesset, castris

abire

abire iubet. Ille lacrymans orare, ne ea crederet: nihil dolo factum, ac magis calliditate Iugurthae; cui uidelicet speculanti iter suum cognitũ esset: ceterum, quoniam neq. ingentem multitudinem haberet; & spes, opesq. eius omnes ex patre suo penderent; credere, illum nihil ausurum palam, cum ipse filius testis adesset: quare optimum factu uideri, per media eius castra palam transire; sese, uel praemissis, uel ibidem relictis Mauris, solum cum Sylla iturum. Ea res, uti in tali negotio, probata: ac statim profecti, quia de improuiso accesserant, dubio, atq. haesitante Iugurtha, incolumes transeunt. deinde paucis diebus, quo ire intenderant, peruentum est. Ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, multum, & familiariter agebat, praemissus ab Iugurtha, postquam Syllam accitum audierat, orator, & subdole speculatum Bocchi consilia: praeterea Dabar, Massugradae filius, ex gente Massanisae, ceterum materno genere impar, (nam mater eius ex concubina orta erat) ob ingenij multa bona Mauro carus, acceptusque. quem Bocchus fidum Romanis multis antea tempestatib. expertus, illico ad Syllam nunciatum mittit, paratum sese facere, quae populus R. uellet: colloquio diem, locum, tempus, ipse deligeret: consulta sese omnia cum illo integra habere: neu Iugurthae legatum pertimesceret: accitum esse, quo res communis licentius gereretur: nam ab insidijs eius aliter ca-

ueri nequiuisse. Sed ego comperior, Bocchum magis Punica fide, quam ob ea, quae praedicabat, simul Romanos, & Numidam spe pacis detinuisse: multumq. cum animo suo uoluere solitum, Iugurtham Romanis, an illi Syllam traderet: libidinem aduersum nos, metum pro nobis, suasisse. Igitur Sylla respondit, pauca se coram Aspare locuturum, cetera occulte, aut nullo, aut quampauciſsimis praesentibus: simul edocet, quae responderentur. Postquam, sicuti uoluerant, congressi; dicit se missum a consule uenisse quaesitum ab eo, pacē, an bellum, agitaturus foret. Tunc rex, uti praeceptum fuerat, post diem decimum redire iubet: ac nihil etiam nunc decreuisse, sed, illo die responsurum. Deinde ambo in sua castra digressi. sed, ubi plerumq. noctis processit; Sylla a Boccho occulte accersitur: ab utroq. tantummodo fidi interpretes adhibentur. praeterea Dabar internuncius, sanctus uir, iurat ex sententia amborum: ac statim sic rex incipit. Numquam ego ratus fore, uti rex maximus in hac terra, & omnium, quos noui, opulentiſsimus, priuato homini gratiam deberem. & mehercule Sylla, ante te cognitum, multis orantib. alijs ultro egomet opem tuli, nullius indigus. id immutatum, quod ceteri dolere solent, ego laetor. fuerit mihi pretium, eguisse aliquando tuae amicitiae; qua apud animum meum nihil carius habeo. id adeo experiri licet: arma, uiros, pecuniam, postremo quid,

quid

quid animo libet, sume, utere: &, quoad uiues, numquam tibi redditam gratiam putaueris: semper apud me integra erit: deniq. nihil me sciente frustra uoles. nam, ut ego existimo, regem armis, quam munificentia, uinci, minus flagitiosum. ceterum de rep. uestra, cuius huc curator missus es, paucis accipe. Bellum ego populo R. neq. feci, neq. factum umquam uolui: finnes meos aduersum armatos armis tutatus sum. id omitto: quando uobis ita placet. gerite, uti uultis, cum Iugurtha bellum: ego flumen Muluchan, quod inter me, & Micipsam, fuit, nō egrediar; neq. intrare Iugurtham sinam. praeterea, si quid meq. uobisq. dignum petieris, haud repulsus abibis. Ad ea Sylla pro se breuiter, & modice, de pace, & de communib. reb. multis disseruit. deniq. regi patefecit, quod pollicearetur, senatum & populum R. qnoniam amplius armis ualuissent, non in gratiā habituros: faciendum aliquid, quod illorum magis, quam sua, retulisse uideretur: id adeo in promptu esse; quoniam Iugurthae copiam haberet: quem si Romanis tradidisset, fore, ut illi plurimum deberetur: amicitiam, foedus, Numidiae partem, quam nunc peteret, tum ultro aduenturam. Rex primum negitare: affinitatem, cognationem, praeterea foedus, interuenisse: ad hoc metuere, ne fluxa fide usus popularium animos auerteret; quas & Iugurtha tarus, & Romani inuisi essent. deniq. saepius fatigatus, leniter ex

negare

uoluntate Syllae omnia se facturum promittit. ceterum ad simulandam pacem, cuius Numida, defessus bello, auidissimus erat, quae utilia uisa, constituunt. ita, composito dolo, digrediuntur. At rex postero die Asparem, Iugurthae legatum, appellat: dicitq. sibi per Dabarem ex Sylla cognitum, posse condicionib. bellum componi: quamobrem regis sui sententiam exquireret. ille laetus in castra Iugurthae uenit: deinde ab illo cũcta edoctus, properato itinere, post diem octauum redit ad Bocchum; & ei nunciat, Iugurtham cupere omnia, quae imperarentur, facere, sed Mario parum confidere: saepe antea cum imperatorib. Romanis pacem conuentam frustra fuisse: ceterum Bocchus, si ambob. consultum, & ratam pacem, uellet, daret operam, ut una ab omnibus, quasi de pace, in colloquium ueniretur; ibiq. sibi Syllam traderet. cum talem uirum in potestatem habuisset; tum fore, uti iussu senatus, populiq. R. foedus fieret; neq. hominem nobilem non sua ignauia, sed ob remp. in hostium potestate relictum iri. Haec Maurus secum ipse diu uoluens, tandem promisit: ceterum dolo, an uero cunctatus, parum comperimus. Sed plerumq. regiae uoluntates, ut uehemẽtes, sic mobiles, saepe ipsae sibi aduersae. Postea, tempore, & loco constituto, in colloquium uti de pace ueniretur, Bocchus Syllam modo, modo Iugurthae legatum, appellare: benigne habere: idem ambob. polliceri. illi pariter laeti,

ac

ac spei bonae pleni esse. sed nocte ea, quae proxima fuit ante diem, colloquio decretum, Maurus, adhibitis amicis, ac statim immutata uoluntate, remotis ceteris, dicitur secum ipse multa agitauisse, uultu, colore, ac motu corporis pariter atq. animo uarius: quae scilicet, tacente ipso, occulta oris immutatione patefeciisse. tamen postremo Syllam accersiri iubet; & ex eius sententia Numidae insidias tendit. deinde, ubi dies aduenit; & ei nunciatum est, Iugurtham haud procul abesse; cum paucis amicis, & quaestore nostro, quasi obuius, honoris caussa procedit in tumulum facillimum uisu insidiantibus. eodem Numida cum plerisq. necessarijs suis, inermis, uti dictum erat, accedit: ac statim, signo dato, undiq. simul ex insidijs inuaditur. ceteri obtruncati: Iugurtha Syllae uinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus est. Per idem tempus aduersum Gallos ab ducib. nostris Q. Caepione, & C. Manlio male pugnatum. quo metu Italia omnis contremuerat. illique, & inde usq. ad nostram memoriam Romani sic habuere; alia omnia uirtuti suae prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria, certare. Sed, postquam bellum in Numidia confectum; & Iugurtham Romam uinctum adduci, nunciatum est: Marius consul absens factus est; & ei decreta prouincia Gallia: isq. Kalendis Ian. magna gloria consul triumphauit. Ea tempestate spes, atq. opes ciuitatis in illo sitae.

ORATIO
M. AEMILII. LEPIDI. COS AD. POPVLVM. R. VT. ARMA. SVMANTVR contra Syllam dict. EX. LIB. I. HISTORIARVM teste Frontone.

CLEMENTIA, & probitas uestra, Quirites, quib. per ceteras gentes maximi, & clari estis, plurimum timoris mihi faciunt, aduersus tyrannidem L. Syllae: ne aut ipsi, nefanda, quae non aestimatis, ea parum credendo de alijs, circumueniamini; praesertim cum illi spes omnis in scelere, atq. perfidia, sit, neq. se aliter tutum putet, quam si peior, atq. intestabilior metu uestro fuerit; quo captiuis libertatis curam miseria eximat: aut, si prouideritis, in tutandis periculis magis, quam ulciscendo, teneamini. Satellites quidem eius, homines maximi nominis, non minus optimis maiorum exemplis, nequeo satis mirari. dominationis in uos seruitium suum mercedem dant; & utrumq. per iniuriam malunt, quam optimo iure liberi agere. praeclara Brutorum, atq. Aemiliorum, & Lutatiorum, proles, geniti ad ea, quae maiores uirtute peperere, subuertenda. nam quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque, & Antiocho, defensum

est

est aliud, quam libertas, & suae cuiq. sedes, neu cui, nisi legibus, pareremus? quae cuncta facuus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet; non tot exercituum clade, neq. consulis, & aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus; sed tum crudelior, cum plerosq. secundae res in miserationem ex ira uertunt. quin solus omnium, post memoriam hominū, supplicia in post futuros composuit: quas prius iniuria, quā uita, certa esset: prauissimeq. per sceleris immanitatem adhuc tutus furit, dū uos metu grauioris seruitij a repetenda libertate terremini. Agendum, atq. obuiam eundum est, Quirites, ne spolia uestra penes illum sint. non prolatandum, neq. uotis paranda auxilia. nisi forte speratis, per taedium iam, aut pudorē tyrannidis, esse cum per scelus occupata periculosius dimissurum. at ille eo processit, ut nihil glorioſum, nisi tutum, & omnia retinēdae dominationis honesta aestimet. itaq. illa quies, & otium cum libertate, quae multi probi potius, quam laborē cum honoribus, capessebant, nulla sunt: hac tempestate seruiendum, aut imperitandum: habendus metus est, aut faciendus, Quirites. nam, quid ultra? quae ue humana superant, aut diuina impolluta sunt? Populus R. paullo ante gentium moderator, exsutus imperio, gloria, iure, cogitandi inops, despectusque, ne seruilia quidem alimenta reliqua habet. Sociorum, & Latij magna uis ciuitate, pro multis,

& egregijs factis à uobis data, per unum prohibentur: & plebis innoxiae patrias sedes occupauere pauci satellites, mercedem scelerum: leges, iudicia, aerarium, prouinciae, reges penes unum. deniq: necis ciuium, & uitae licentia. simul humanas hostias uidistis, & sepulcra infecta sanguine ciuili. Est ne uiris reliqui aliud, quam soluere iniuriam, aut mori per uirtutem? quoniam quidem unum omnib. finem natura uel ferro saeptis statuit: neq. quisquam extremam necessitatem, nihil ausus, nisi muliebri ingenio, exspectat. Verum ego seditiosus, uti Sylla ait, qui praemia turbarum queror; & bellum cupiens, quia iura pacis repeto. scilicet, quia non aliter salui, satisq. tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens, scriba Cornelius, aliena bene parata prodegerint: nisi approbaritis omnes proscriptiones innoxiorū ob diuitias, cruciatus uirorum illustrium, uastam urbem fuga, & caedibus, bona ciuium miserorū, quasi Cimbricam praedam, uenum, aut dono datā. At obiectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum. quod quidem scelerum illius uel maximū est, non me, neq. quemquam omnium satis tutū fuisse, si recte faceremus. Atq. illa, quae tum formidine mercatus sum pretio, soluto iure, dominis tamen restituo: neq. pati consilium est, ullam ex ciuibus praedam esse. Satis illa fuerint, quae rabie contracta tolerauimus, manus conserentes inter se Romanos exercitus,

& ar-

& arma ab externis in nosmet uersa. scelerum, & contumeliarum, omnium finis sit: quorum adeo Syllam non paenitet, ut & facta in gloria numeret, &, si liceat, auidius faceret. Neque iam, quid existimetis de illo, sed quantum uos audeatis, uereor: ne alius alium principem exspectantes ante capiamini, non opib. eius, quae futiles, & corruptae sunt, sed uestra secordia; quam raptum iri licet, & quam audeat, tam uideri felicem. nam praeter satellites commaculatos, quis eadem uult? aut quis non omnia mutata, praeter uictoriam? scilicet milites: quorum sanguine Tarulae, Scyrrhoque, pessimis seruorum, diuitiae partae sunt. an quib. praelatus in magistratib. capiēdis Fusidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamētum? itaq. maximam mihi fiduciam parit uictor exercitus, cui per tot uulnera & labores nihil, praeter tyrānū, quaesitum est. nisi forte tribunicam potestatem euersum profecti sunt per arma, conditam a maiorib. suis: utiq. iura, & iudicia sibimet extorquerent: egregia scilicet mercede, cum, relegati in paludes, & siluas, contumeliam, atq. inuidiam suam, praemia penes paucos intelligerent. Quare igitur tanto agmine, atq. animis, incedit? Quia secundae res mire sunt uitijs obtentui: quib. labefactatis, quam formidatus antea est, tam contemnetur: nisi forte specie concordiae, & pacis, quae sceleri, & parricidio suo nomina indidit. Neque aliter Ro-

mani

mani P. esse belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, praeda ciuilis acerbissima, ius iudiciumq. omnium rerum penes se, quod populi R. fuit. quae si uobis pax, & concordia intelliguntur: maxima turbamenta reip. atq. exitia, probate: annuite legib. impositis: accipite otium cum seruitio: & tradite exemplum posteris ad populum R. suimet sanguinis mercede circumueniendum. mihi quamquam per hoc summum imperium satis quaesitum erat, nomini maiorum, dignitati, atq. etiam praesidio; tamen non fuit consilium priuatas opes facere; potiorq. uisa est periculosa libertas quieto seruitio. Quae si probatis; adeste, Quirites; &, bene iuuantib. dijs, M. Aemilium consulem ducem, & auctorem sequimini, ad recipiendam libertatem.

PHILIPPI. IN. SENATV

ut Lepido, bellum mouenti, resistant.

EX. LIB. I. HISTORIARVM

Prisciano, & Nonio testibus.

MAXIME uellem, P. C. remp. quietam esse, aut periculis promptissimo quoque defendi; deniq. praua incepta consultorib. noxae esse. sed contra, seditionib. omnia turbata sunt, & ijs, quos prohibere magis decebat: postremo, quae pessimi, & stultissimi decreuere, ea nobis, & sapientibus, facienda sunt. nam bellum, atq. arma, quamquam uobis inuisa, tamen, quia Lepido placent, sumenda sunt. nisi forte cui pacem praestare, & bellum pati, consilium est. Pro dij boni, qui hanc urbem, omissa cura, adhuc regitis. M. Aemilius, omnium flagitiosorum postremus, qui peior, an ignauior, sit, deliberari non potest, exercitum opprimendae libertatis habet, & se e contempto metuendum effecit: uos mussantes, & retractantes, uerbis & uatum carminib. pacem optatis magis, quam defenditis: neq. intelligitis, mollitia decretorum uobis dignitatem, illi metum detrahi. atq. id iure: quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem prouinciam cum exercitu adeptus est. quid ille ob benefacta cepisset, cuius scelerib. tanta praemia tribuistis? At scilicet ij, qui

ad

ad postremum usq. legatos, pacem, concordiam,&alia huiuscemodi decreuerunt,gratiam ab eo peperere. Immo despecti, & indigni rep. habiti, praedae loco aestimantur: quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem a principio, cum,Etruriam coniurare, proscriptos accersiri, largitionib. remp. lacerari,uidebam,maturandum putabam,& Catuli cõsilia cum paucis secutus sum. ceterum illi, qui gentis Aemiliae benefacta extollebant, & ignoscendo populi R. magnitudinem auxisse, nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant, &,cum priuata arma opprimendae libertatis cepisset,sibi quisq.opus aut patrocinia quaerẽdo, consilium publicum corruperunt. attamen erat Lepidus latro cum calonibus, & paucis sicarijs: quorum nemo non diurna mercede uitam mutauerit. nunc est proconsul cum imperio, non empto,sed dato a uobis,cum legatis adhuc iure parentib.&ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptissimi,flagrantes inopia,& cupidinibus, scelerum conscientia exagitati: quib. quies in seditionibus, in pace turbae sunt: hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello, serunt, Saturnini olim, post Sulpicij, dein Marij, Damasippique, nunc Lepidi, satellites. praeterea Etruria, atq. omnes reliquiae belli arrectae: Hispaniae armis sollicitatae: Mithridates in latere uectigalium nostrorum, quib. adhuc sustentamur, diem bello circumspicit:

quin,

quin,praeter idoneum ducem,nihil abeſt ad ſub uertendum imperium.quod; ego uos oro, atq. obſecro,P. C.ut animaduertatis, neu patiamini licentiam ſcelerum, quaſi rabiem, ad integros procedere. nam, ubi malos praemia ſequuntur, haud facile quiſquam gratuito bonus eſt. An ex ſpectatis, dum, exercitu rurſus admoto, ferro, atq. flamma,urbem inuadat? quod multo propius eſt ab eo, quo agitat, ſtatu, quam ex pace, & concordia ad arma ciuilia,quae ille aduerſum diuina, & humana omnia,cepit, non pro ſua, aut quorum ſimulat,iniuria,ſed legum,ac libertatis ſubuertendae. angitur enim, ac laceratur, animi cupidine, & noxarum metu, expers conſilij,inquies:haec atq.illa tentans metuit otium, odit bellum: luxu, atq. licentia,carendum uidet: atq. interim abutitur ueſtra ſecordia. neq. mihi ſatis conſilij eſt, metum, an ignauiam, an dementiam,eam appellem: qui uidemini intenta mala, quaſi fulmen, optare ſe quiſq. ne attingat, ſed prohibere ne conari quidem. &, quaeſo, conſiderate, quam conuerſa rerum natura ſit. Antea malum publicum occulte, auxilia palam inſtruebantur: & eo boni malos facile anteibant: nunc pax, & concordia diſturbantur palam, defenduntur occulte: quib. illa placent, in armis ſunt, uos in metu. quid exſpectatis? niſi forte pudet, aut piget, recte facere? An Lepidi mandata animos mouent? qui placere ait, ſua cuiq. reddi,

& alie-

& aliena tenet: belli iura rescindi, cum ipse armis cogat: ciuitatem confirmari, qui ademptam negat: concordiae gratia tribuniciam potestatem restitui, ex qua omnes discordiae accensae. Pessime omnium, atq. impudentissime, tibi ne egestas ciuium, & luctus, curae sunt, cui nihil est domi, nisi armis partum, aut per iniuriam? alterum consulatum petis, quasi primum reddideris: bello concordiam quaeris, quo parta disturbatur: nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum: ut te neq. hominum, neq. deorum, pudeat, quos perfidia, aut periurio, uiolasti. qui quando talis es; maneas in sententia, & retineas arma, te hortor; neu prolatandis seditionib. inquies ipse, nos in sollicitudine retineas. neq. te prouinciae, neq. leges, neq. dij penates ciuem patiuntur. perge, qua coepisti; ut quammaturrime merita inuenias. Vos autem, P. C. quousq. cunctando remp. intutam patiemini, & uerbis arma tentabitis? Dilectus aduersum uos habiti: pecuniae publice, & priuatim, extortae: praesidia deducta, atq. imposita: ex libidine leges imperantur: cum interim uos legatos, & decreta paratis. &, quanto mehercules auidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit: cum intelliget se metu magis, quam aequo, & bono, sustentatum. nam, qui turbas, & caedem ciuium, odisse ait, & ob id armato Lepido uos inermos retinet: quae uictis toleranda sunt, ea cum facere possitis, patiamini potius censet: ita

illi

illi a uobis pacem, uobis ab illo bellum suadent. Haec si placent; si tanta torpedo animos oppressit, ut, obliti scelerum Cinnae, cuius in urbem reditu decus, atq. ordines omnes interierunt, nihilo minus uos, atq. coniuges, & liberos, Lepido permissuri sitis: quid opus decretis? quid auxilio Catuli? quin is, & alij boni remp. frustra curant. Agite, ut libet: parate uobis Cethegos, atq. alia proditorum patrocinia, qui rapinas, & incendia instaurare cupiunt, & rursum aduersum deos penates manus armare. sin libertas & bella magis placent; decernite digna nomine, & augete ingenium uiris fortibus. adest nouus exercitus, & ad hoc coloniae ueterum militum, nobilitas omnis, duces optimi. fortuna meliores sequitur. iam illa, quae secordia nostra collecta sunt, dilabentur. Quare ita censeo: quoniam Lepidus exercitum, priuato consilio paratum, cum pessimis, & hostib. reip. contra huius ordinis auctoritatem ad urbem ducit; uti Ap. Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule, & ceteris, quib. imperium est, urbi praesidio sint; operamq. dent, ne quid resp. detrimenti capiat.

ORATIO. C. COTTAE COS. AD. QVIRITES VT. TOLERENT ADVORSA.

Incertum, ex quo Historiar. libro.

QVIRITES, multa mihi pericula domi, militiae, multa aduersa fuere: quorum alia toleraui, partim repuli deorum auxilijs, & uirtute mea: in quis omnibus, neq. animus negotio defuit, neq. decretis labos. malae secundaeq. res opes, non ingenium, mihi mutabant. at contra in his miserijs cuncta me cum fortuna deseruere. praeterea senectus, per se grauis, curam duplicat: cui misero, acta iam aetate, ne mortem quidem honestam sperare licet. nam, si parricida uestri sum, & uobis genitus hic, deos penates meos, patriamque, & summum imperium, uilia habeo: quis mihi uiuo cruciatus satis est, aut quae poena mortuo? cum omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo uici: a prima adolescentia in ore uestro priuatus, & in magistratib. egi; qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia uoluere, usi sunt: neq. ego callidam facundiam, neq. ingenium, ad male faciendum exercui: auidissimus priuatae gratiae maximas inimicitias pro rep. suscepi, qui uictus cum illa simul, cum egens alienae opis plura mala exspectarem; uos, Quirites, rursus mihi patriam,

triam, deos penates cum ingenti dignitate dedistis. Pro quib. beneficijs uix satis gratus uidear, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. nam uita, & mors iure naturae sunt: ut sine dedecore cum ciuib. fama, & fortunis integer agas, id dono datur, atq. accipitur. consules nos feciſtis, Quirites, domi, belliq. impeditisſima rep. namq. imperatores Hiſpaniae ſtipendium, milites, arma, frumentum, poſcunt: et id res cogit: quoniam defectione ſociorum, & Sertorij per montes fuga neq. manu certare poſſunt, neq. utilia parare: exercitus in Aſia, Ciliciaq. ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hoſtium eſt: nec minus Italiae maritima, & prouinciarum: cum interim uectigalia parua, & bellis incerta, uix partem ſumptuum ſuſtinent: ita claſſe, qua commeatus uehebatur, minore, quam antea, nauigamus. haec ſi dolo, aut ſecordia noſtra contracta ſunt; agite uti libet, & ita ſupplicium ſumite: ſin fortuna communis aſperior eſt; quare indigna uobis, nobisque, & rep. incipitis? Atq. ego, cuius aetati mors propior eſt, non deprecor, ſi quid ea uobis incommodi demitur: neq. mox ingenuo corpori honeſtius, quam pro uoſtra ſalute, finem uitae fecerint. Adſum en C. Cotta cos. facio quod ſaepe maiores aſperis bellis fecere: uoueo, dedoq. me pro rep. quam deinde cui mandetis, circumſpicite, nam talem honorem bonus nemo uolet: cum

fortunae,& pacis, & belli ab alijs actiratio fed
denda,aut turpiter moriendum sit. tantummo-
do in animis habetote, non me ob scelus, aut a-
uaritiam, caesum,sed uolétem pro maximis be
neficijs animam dono dedisse. Per uos igitur,
Quirites,& gloriam maiorum, tolerate aduer-
sa,& consulite reip.multa cura summo imperio
inest,multi ingentes labores:quos nequidquam
abnuitis,& pacis opulentiam quaeritis: cum o-
mnes prouinciae,regna,maria,terraeq. aspera,
aut fessa bellis sint.

MACRI. TRIB. PL. AD. PLEBEM DE. TRIBVNICIA. POTESTATE recuperanda.

EX. LIB. III. HISTORIARVM teste Frontone.

SI, QVIRITES, parum existimaretis, quid inter ius a maiorib. relictum uobis, & hoc a Sylla paratum seruitium interesset: multis mihi differendum fuisset, docendumq. quas ob iniurias, & quoties a patrib. armata plebes secessisset, utiq. uindices parauisset omnis iuris sui tribunos pl. nunc hortari modo reliquum est, & ire primum uia, qua capessendam arbitror libertatem. neq. me praeterit, quantas opes nobilitatis solus impotens inani specie magistratus pellere dominatione incipiam; quantoq. tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes. sed praeter spem bonam ex uobis, quae metum uicit, statui certaminis aduersa pro libertate potiora esse forti uiro, quam omnino non certauisse. quamquam omnes alij creati pro iure uestro uim cunctam, & imperia sua gratia, aut spe, aut praemijs, in uos conuertere, meliusq. habent mercede delinquere, quam gratis recte facere. itaq. omnes concessere iam in paucorum dominationem; qui per militare nomen, aerarium, exercitus, regna, prouincias occupauere, & arcem habent ex spolijs uestris: cum interim more pecorum

rum uos multitudo singulis habendos, fruendosq. praebetis, exsuti omnibus, quae maiores reliquere: nisi quia uosmetipsi per suffragia, ut praesides olim nunc dominos destinatis. itaq. cõ cessere illuc omnes: et mox, si uestra receperitis, ad uos redibũt pleriq. rarus enim animus est ad ea, quae placent, defendenda: cetera ualidiorum sunt. an dubium habetis, ne officere quid uobis uno animo pergentib. possit, quos languidos, se cordesq. pertimuere? nisi forte C. Cotta ex factione media consul aliter quam metu iura quaedã tribunis pl. restituit. et quamquam L. Cinicus, primus de potestate tribunus loqui ausus, mussantib. uobis circumuentus erat: tamen prius illi inuidiam metuere, quam uos iniuriae pertaesũ est. quae ego nequeo satis mirari, Quirites. nam spem frustra fuisse intellexistis. Sylla mortuo, qui scelestum imposuerat seruitium, finem mali credebatis. ortus est longe saeuior Catulus. tumultus intercessit Bruto, & Aemilio Mamerco cos. dein C. Curio ad exitium usq. insontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quinctium, uidistis; quantae deniq. nunc mihi turbae concitantur. quae profecto incassum agerentur, si prius, quam uos seruiendi finem, illi dominationis facturi erant: praesertim cum his ciuilib. armis dicta alia, sed certatim utrimq. de dominatione in uobis sit. itaq. cetera ex licentia, aut odio, aut auaritia, in tempus arsere: permansit una res modo, quae

utrimq.

utrimq. quaesita est: & erepta in posterum uis tribunicia, telum a maiorib. libertati paratum. quod, ego uos moneo, quaesoque, ut animaduertatis; neu nomina rerum ad ignauiam mutantes, otium pro seruitio appelletis: quo iam ipso frui, si uera, & honesta flagitium superauit, non est condicio. fuisset, si omnino quiesletis. nunc animum aduertite: &, nisi uiceritis, quoniam omnis iniuria grauitate tutior est, artius habebunt. Quid censes igitur? aliquis uestrum subiecerit. Primum omnium, omittendum morem hunc, quem agitis, impigrae linguae, animi ignaui, non ultra concionis locum memores libertatis: deinde, ne uos ad uirilia illa uocem, quo tribunos plebei modo patricium magistratum, libera ab auctorib. patricijs suffragia maiores uestri parauere. quamuis, Quirites, in uobis sit, ut, quae iussa nunc pro alijs toleratis, pro uobis agere, aut non agere, certe possitis. Iouem, aut alium quem deum, consultorem exspectatis? magna illa consulum imperia, & patrum decreta uos exsequendo rata efficitis, Quirites: ultroq. licentiam in uos auctum, atq. adiutum properatis. neq. ego uos ultum iniurias hortor; magis, uti requiem cupiatis: neq. discordias, ut illi criminantur, sed earum finem uolens, iure gentium res repeto: & si pertinaciter retinebunt, non arma, neq. secessionem, tantum modo ne amplius sanguinem uestrum praebeatis, censeo. gerant, habeantq. suo modo imperia, quaerant triumphos:

phos: Mithridatem, Sertorium, & reliquias exsulum, persequantur cum imaginibus suis: absit periculum, & labos, quib. nulla pars fructus est: nisi forte repentina ista frumentaria lege munia uestra pensantur: cum tamen, qui his modis libertatem omnium aestimauere, hi profecto non amplius possunt alimentis carere: namq. utilis exiguitate mors prohibetur. * senescunt uires, sic, ut neq. absolui cura familiari tam parua res possit. at & ignauissimi quiq. tenuissima spe frustrantur: quae tamen quamuis ampla, quoniam seruitij pretium ostentarent, cuius torpedinis erat decipi, & uestrarum rerum ultro iniuria gratiam debere? namq. alio modo neq. * ualent in uniuersos, neq. conabuntur. cauendus tamen dolus est. itaq. simul comparant delenimenta, & differunt uos in aduentum Cn. Pompeij: quem ipsum, ubi pertimuere sublatum in ceruices suas, mox dempto metu lacerant: neq. eos pudet, uindices, uti se ferunt, libertatis, tot uiros sine uno aut remittere iniuriã non audere, aut ius non posse defendere. mihi quidem satis spectatum est, Pompeium, tantae gloriae adolescentem, malle principem uolentib. uobis esse, quam illis dominationis & sorcium, auctoremq. in primis fore tribuniciae potestatis. uerum, Quirites, antea singuli ciues in pluribus, non in uno cuncti praesidia habebatis: neq. mortalium quisquam dare, aut eripere, talia unus poterat. itaq. uerborum satis dictum

est.

est. neq. enim ignorantia res claudit: uerum occupauit nescio quae uos torpedo: quia neq. gloria mouemini, neq. flagitio: cunctaq. praesenti ignauia mutastis, abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur, & huc ire licet, atq. illuc, munera ditium dominorum. atq. haec eadē non sunt agrestibus, sed caeduntur inter potentium inimicitias, donoq. dantur in prouincias magistratibus. ita pugnatur, & uincitur a paucis: plebes, quodcumq. accidit, pro uicta est, & in dies magis erit: siquidem maiore cura dominationem illi retinuerunt, quam uos repetiueritis libertatem.

EPISTOLA. CN. POMPEII AD. SENATVM EX LIB. III. HISTORIARVM Diomede teſte.

SI aduerſus uos, patriamque, & deos penates, toties labores, & pericula ſuſcepiſſem, quoties a prima adoleſcentia duCtu meo ſceleſtiſsimi hoſtes fuſi, & uobis ſalus quaeſita eſt: nihil amplius in abſentem me ſtatuiſſetis, quam adhuc agitis, P. C. quem contra aetatem proiectum ad bellum ſaeuiſsimum, cũ exercitu optime merito, quantum eſt in uobis, fame, miſerrima omnium morte, confeciſtis. hac in ſpe populus R. liberos ſuos ad bellum mi ſit? haec ſunt praemia pro uulneribus, & toties ob remp. fuſo ſanguine? feſſus ſcribendo, mittendoq. legatos, omnes opes, & ſpes priuatas meas conſumpſi: cum interim a uobis per trien nium uix annuus ſumptus datus eſt. per Deos immortales, utrum cenſetis me uicem aerarij praeſtare, an exercitum ſine frumento, & ſtipendio, habere poſſe? equidem fateor, me ad hoc bellum maiore ſtudio, quam conſilio, profectũ: quippe, qui nomine modo imperij a uobis accepto, dieb. quadraginta exercitum paraui: hoſtesq. in ceruicib. iam Italiae agentes ab alpib. in Hiſpaniam ſummoui, per eas iter aliud, atq. Hannibal, nobis opportunius patefeci: recepi Galliam, Pyrenaeum, Laccetaniam, Ilergetum: & primum impetum Sertorij uictoris, nouis quidem

dem

dem militibus, & multo pauciorib. ſuſtinui:hic memq. in caſtris inter ſaeuiſsimos hoſtes, non per opida, neq. ex ambitione mea,egi. quid deinde proelia,aut expeditiones hibernas, opida exciſa,aut recepta, enumerem? quando res plus ualent,quam uerba. caſtra hoſtium apud Sucronem capta, & proelium apud flumen Durium, & dux hoſtium C. Herennius cum urbe Valentia,& exercitus deleti, ſatis clara uobis ſunt.pro quibus,o grati patres,egeſtatem,& famem,reddidistis. itaq. meo,& hoſtium,exercitui par condicio eſt. namq. ſtipendium, neutri datur: uictor uterq. in Italiam uenire poteſt. quod, ego uos moneo, quaesoque, ut animaduertatis; neu cogatis neceſsitatib. priuatim mihi conſulere. Hi ſpaniam citeriorem,quae non ab hoſtibus tenetur,nos,aut Sertorius ad internecionem uaſtauimus,praeter maritimas ciuitates, quae ultro nobis ſumptui, onerique. Gallia,ſuperiore anno, Metelli exercitum ſtipendio,frnmentoq. aluit: & nunc malis fructib. ipſa uix agitat. ego non rem familiarem modo, uerum etiam fidem,conſumpſi. reliqui uos eſtis: qui niſi ſubuenitis,inuito,& praedicente me, exercitus hinc, & cum eo omne bellum Hiſpaniae,in Italiam tranſgredientur.

REX. MITHRIDATES REGI. ARSACI. S

EX. LIB. IV. HISTORIARVM Carisio teste.

OMNES, qui, secundis reb. suis, ad belli societatem orantur, considerare debent, liceat ne tum pacem agere: deinde, quod quaeritur, satis ne pium, tutum, gloriosum, an indecorum, sit. Tibi perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni, & sceleſtissimi. egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est. neq. petere audeam societatem: & frustra mala mea cum bonis tuis misceri sperem. atqui ea, quae te morari posse uidentur, ira in Tigranem recentis belli, & meae res parum prospere, si uera existimare uoles, maxime hortabuntur. illic enim obnoxius, qualem tu uoles, societatem accipiet. mihi fortuna, multis reb. ereptis, usum dedit bene suadendi: &, quod florentib. optabile est, ego non ualidissimus praebeo exemplum, quo rectius tua componas. namq. Romanis cum nationibus, populis, regib. cunctis una, & ea uetus causa bellandi est, cupido profunda imperij, & diuitiarum: qua primo cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere. dū a Carthaginiensib. premebantur, amicitiam simulantes ei subuenientem Antiochum, concessione Asiae per dolum auertere: ac mox a Philippo Antiochus omni cis Taurum agro, & decem millib. talentorum spoliatus est. Persen deinde,

de, Philippi filium, post multa, & uaria certamina, apud Samothracas deos acceptum in fidem, callidi,& repertores perfidiae,quia pacto uitam dederant,in somnis occidere.Eumenem, cuius amicitiam glorioſe oſtentant, initio prodidere Antiocho,pacis mercede posthabita,custodi agri captiui: sumptibus,& contumelijs,ex rege miserrimum seruorum effecere:simulatoq. impio testamento, filium eius Aristonicum, quia patrium regnum petiuerat,hostium more, per triumphum duxere: Asia ab ipsis obsessa est: postremo totam Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere, cum filius Nusa, quem regem appellauerat, genitus haud dubie esset. Nam quid ego me appellem? quem disiunctum undiq.regnis,& tetrarchijs ab imperio eorũ, quia fama erat diuitem, neq. seruiturum esse, per Nicomedem bello lacessiuerunt, sceleris eorum haud ignarum, & ea, quae accidere, testatum antea. Cretenses, soli omnium liberi ea tempestate, & rex Ptolemaeus. atq. ego, ultus iniurias, Nicomedem Bythinia expuli, Asiamq. spolium regis Antiochi recepi, & Graeciae dempsi graue seruitium. incepta mea postremus seruorum Archelaus,exercitu prodito, impediuit: illique, quos ignauia,aut praua calliditas, ut meis laborib. tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas poenas soluunt. Ptolemaeus pretio diem belli prolatat: Cretenses impugnati semel iam,neq. finem, nisi excidio,habituri.

bituri. equidem, cum mihi ob ipsorum interna mala dilata proelia magis, quam pacem datam, intelligerem; abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnib. alijs obnoxijs, rursus tamen bellum cepit: Marcumq. Cottam Romanum ducem apud Chalcedona terra fudi, mari exsui classe pulcherrima: apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circum adnitente: simul hiems mari prohibebat. ita sine ui hostium regredi coactus in patrium regnum, naufragijs apud Parum, & Heracleam militum optimos cum classib. amisi. restituto deinde apud Cabira exercitu, & uarijs inter me, atq. Lucullum, proelijs, inopia rursus ambos incessit. illi subèrat regnum Ariobarzanis, bello intactum: ego, uastatis circum omnib. locis, in Armeniam concessi: secutiq. Romani non me, sed morem suum, omnia regna subuertendi, quia multitudinem ar tis locis pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis pro uictoria ostentant. nunc quae so consídera, nobis oppressis, utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem, tibi magnas opes uirorum, armorum, & auri, esse: & ea re a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. ceterum consilium est, Tigranis regno integro, meis militibus, procul ab domo, paruo labore, per nostra corpora belli conficere: quando neq. uincere, neq. uinci, sine tuo periculo, possumus.

mus. An ignoras Romanos, postquam ad Occidentem pergentib. finem Oceanus fecit, arma huc conuertisse? neq. quidquam a principio, nisi partum habere, domum, coniuges, agros, imperium? conuenas, olim sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum: quib. non humana ulla, neq. diuina, obstant, quin socios, amicos, procul iuxtaq. sitos, inopes, potentesq. trahant, excidantque; omniaque, & maxime regna, hostilia ducant. namq. pauci libertatem, pars magna iustos dominos uolunt: nos suspecti sumus aemuli, & in tempore uindices affuturi. Tu uero, cui Seleucia maxima urbium, regnumq. Persidis inclytis diuitijs est, quid ab illis, nisi dolum in praesens, & postea bellum, exspectas? Romani arma in omnes habent, acerrima in eos, quib. uictis spolia maxima sunt: audendo, & fallendo, & bella ex bellis serendo magni facti. per hunc morem exstinguent omnia, aut occident: quod difficile non est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur: exercitus sine frumento, sine auxilijs: fortuna autem nostris uitijs adhuc incolumis. teq. illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus, latrones gentium oppressisse. quod uti facias, moneo, hortorque, neu malis pernicie nostra tuum imperium prolatare, quam societate uictor fieri.

AD

AD. C. CAESAREM DE. REPVBLICA ORDINANDA.

POPVLVS R. antea obtinebat regna, atq. imperia, fortunam dono dare, item alia, quae per mortales auide cupiuntur: quia & apud indignos saepe erant, quasi per libidinem data; neq. cuiquam incorrupta permanserant. sed res docuit id uerum esse, quod in carminib. Appius ait, Fabrum esse suae quemq. fortunae: atq. in te maxime, qui tantum alios praetergressus es, ut prius defessi sint homines laudando facta tua, quam tu laude digna faciendo. ceterum ut fabricata, sic uirute parta, quam magna industria haberi decet: ne incuria deformentur, aut corruant infirmata. nemo enim alteri imperium uolens concedit: & quamuis nouus, atq. clemens sit, qui plus potest, tamen, quia malo esse licet, formidatur. id euenit, quia pleriq. rerum potentes peruerse consulunt: & eo se munitiores putant, quo illi, quib. imperitant, nequiores fuere. at contra id eniti decet; cum ipse bonus, atq. strenuus, sis, uti quamoptimis imperites. nam pessimus quisq. asperrime rectorem patitur. sed tibi hoc grauius est, quam ante omnibus, te armis parta componere. bellum aliorum pace mollius gessisti: ad hoc uictores praedam petunt, uicti ciues sunt. inter has difficultates

euadendum est tibi, atq. in posterum firmanda resp. non armis modo, neq. aduersum hostes, sed, quod multo maius, multoq. asperius est, bonis pacis artibus. ergo omnes magna mediocriq. sapientia res huc uocat: quae quisq. optima potest, uti dicat. ac mihi sic uidetur; qualicumque modo tu uictoriam composueris, ita alia omnia futura. sed iam, quo melius, faciliusq. constituas, paucis, quae me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit, imperator, cum homine claro, magnis opibus, auido potentiae, maiore fortuna, quam sapientia: quem secuti sunt pauci, per suam iniuriam tibi inimici: item quos affinitas, aut alia necessitudo, traxit. nam particeps dominationis neq. fuit quisquam; neque, si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret. cetera multitudo uulgi more magis, quam iudicio, post alius alium, quasi prudentiorem, secuti. Per idem tempus maledictis iniquorum occupãdae reip. in spem adducti homines, quib. omnia probro, ac luxuria, polluta erant, concurrere in castra tua: & aperte quietis mortem, rapinas, postremo omnia, quae corruptus animus iubebat, minitari. ex quibus magna pars, ubi neq. creditum condonare, neq. te ciuibus, sicuti hostibus, uti uident, defluxere: pauci restitere, quib. maius otium in castris, quam Romae, futurum erat: tanta uis creditorum impendebat. sed ob easdem causas, immane dictu est, quanti, & qua-

multi

multi mortales postea ad Pompeium discesserint: eoq. per omne tempus belli quasi sacro, atq. inspoliato fano debitores usi. Igitur, quoniam tibi uictori de bello, atq. pace, agitandum est; hoc uti ciuiliter deponas, illa ut quamiustissima, & diuturna sit: de te ipso primum, quia compositurus es, quod optimum factu est, existima. equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quã diuturna, arbitror; neq. quem quam a multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam uitam bellum aeternum, & anceps gerere: quoniam neq. aduersus, neq. ab tergo, aut laterib. tutus sis, semper in periculo, aut metu agites. contra; qui benignitate, & clementia, imperium temperauere, his laeta & candida omnia uisa, etiam hostes aequiores, quam alijs ciues. an qui me his dictis corruptorem uictoriae tuae, nimisq. in uictos bona uoluntate praedicent? scilicet quod ea, quae externis nationibus, natura hostibus, nosq. maioresq. nostri saepe tribuere, ea ciuib. danda arbitror; neq. barbaro ritu caede caedem, & sanguine sanguinem, expiandum. an illa, quae paullo ante hoc bellum in Cn. Pompeium uictoriamq. Syllanam increpabantur, obliuio abstulit? interfecit Domitium, Carbonem, Brutum, alios item non armatos, neq. in proelio belli iure, sed postea supplices per summum scelus interfectos: plebem Romanam in uilla publica pecoris modo conscissam.

heu

heu quam illa occulta ciuium funera, & repentinae caedes in parentum, aut liberorum sinum, fuga mulierum,& puerorum,uastatio domorũ: ante partam a te uictoriam omnia saeua,atq.crudelia,erant.ad quae te illi ijdem hortantur:& scilicet id certatum esse, utriusq. uestrum arbitrio iniuriae ut fierent: neq. receptam, sed captam,a te remp. & ea caussa exercitus stipendijs confectis,optimos,& ueterrimos omnium,aduersum fratres, parentesq. alij liberos armis contendere; ut ex alienis malis deterrimi mortales uentri, atq. profundae libidini sumptus quaererent; atq. essent opprobria uictoriae, quorum flagitijs commacularetur bonorum laus. neq. enim te praeterire puto,quali quisq. eorum more, aut modestia, etiam tum dubia uictoria, sese gesserit: quoq. modo in belli administratione scorta, aut conuiuia, exercuerint nonnulli; quorum aetas ne per otium quidem tales uoluptates sine dedecore attigerit. De bello satis dictum. De pace firmanda quoniam tuque, & omnes tui agitatis: primum id, quaeso, considera, quale id sit, de quo consultas: ita,bonis, malisq. dimotis, patenti uia ad uerum perges. Ego sic existimo; quoniam orta omnia intereuut, qua tempestate urbi Romanae fatum excidij aduentarit, ciues cum ciuib. manus conserturos; ita defessos, & exsangues regi, aut nationi praedae futuros. aliter non orbis terrarum, neq. cunctae gentes conglo-

batae,mouere,aut contundere queunt hocimpe rium.firmanda igitur ſunt concordiae bona, & diſcordiae mala expellēda, id ita eueniet, ſi ſumptuum, & rapinarū,licentiam dempſeris;non ad uetera inſtituta reuocans, quae, iam pridem corruptis moribus,ludibrio ſunt;ſed ſi ſuā cuiq. rem familiarem, & finem ſumptuum ſtatueris: quoniam is inceſsit mos,ut homines adoleſcentuli,ſua,atq. aliena conſumere,nihil libidini,atq. alijs rogantib. denegare,pulcherrimū putent;eam uirtutem,& magnitudinem animi, pudorem, atq. modeſttam pro ſecordia aeſtiment.ergo animus ferox,praua uia ingreſſus,ubi conſueta non ſuppetunt,fertur accenſus in ſocios modo, modo in ciues: mouet compoſita, & res nouas ueterib. acquirit. quare tollendus fenerator in poſterum; uti ſuas quiſq. res curemus. ea uera, atq. ſimplex uia eſt, magiſtratum populo, non creditori, gerere; & magnitudinem animi in addendo,non demendo reip. oſtendere. atq. ego ſcio, quam aſpera haec res in principio futura ſit, praeſertim ijs, qui ſe in uictoria licentius, liberiusque, quam artius, futuros credebant: quorum ſi ſaluti potius, quam libidini,conſules: illosq. nosq. & ſocios in pace firma conſtitues. ſi eadem ſtudia, artesq. iuuentuti erunt: nae iſta egregia fama ſimul cum urbe Roma breui concidet. poſtremo ſapientes pacis cauſſa bellum gerunt, laborem ſpe otij ſuſtentant. niſi illam firmam

mam efficis; uinci, an uiciſſe, quid retulit? quare capeſſe per deos remp. & omnia aſpera, uti ſoles, peruade. namq. aut tu mederi potes; aut omittenda eſt cura omnibus. neq. quiſquam te ad crudeles poenas, aut acerba iudicia, inuocat, quib. ciuitas uaſtatur magis, quam corrigitur; ſed ut prauas artes, malasq. libidines, ab iuuentute prohibeas. ea uero clementia erit, conſuluiſſe, ne immerito ciues patria expellerentur; retinuiſſe ab ſtultitia, & falſis uoluptatibus; pacem, concordiamq. ſtabiliuiſſe: non, ſi, flagitijs obſecutus, delicta perpeſſus, praeſens gaudium cum mox futuro malo conceſſeris. Ac mihi animus, quib. reb. alij timent, maxime erectus eſt, negotij magnitudine: & quia tibi terrae, & maria, ſimul omnia componenda ſunt, (quippe res paruas tantum ingenium attingere nequit) magnae curae magna merces eſt. Igitur prouideas oportet, uti plebes, largitionibus, & publico frumento, corrupta, habeat negotia ſua, quib. ab malo publico detineatur: iuuentus probitati, & induſtriae, non ſumptibus, neq. diuitijs, ſtudeat. id ita eueniet, ſi pecuniae, quae maxima omnium pernicies eſt, uſum, atq. dedecus, dempſeris. nam ſaepe ego cum animo meo reputans, quib. quiſq. reb. clariſsimi uiri magnitudinem inueniſſent; quae res populos, nationes ue, magnis auctorib. auxiſſent; ac deinde quib. cauſsis ampliſsima regna, & imperia, corruiſſent: eadem ſemper bona, atq. mala repe-

riebam,omnesq.uictores diuitias contempsisse, & uictos cupiuisse.neq. aliter quisquam extolle re sese,& diuina mortalis attingere pnteſt, nisi, omissis pecuniae,& corporis gaudijs,animo indulgens, non assentando, neq. concupita praebendo,peruersam gratiam gratificans, sed in labore,patientia,bonisq. praeceptis, & factis fortib. exercitando . nam domum, aut uillam exstruere,eamq. signis, aulaeis, alijsq. operib. exornare, & omnia potius, quam semet, uisendum efficere; id est, non diuitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse.porro ij,quib. bis die uentrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est; ubi animum,quem dominari decebat, seruitio oppressere, nequaquam eo postea hebeti, atq. claudo pro exercitio uti uolunt. nam imprudentia pleraque, & se praecipitant. uerum haec,& omnia mala pariter cum honore pecuniae desinent,si neq. magistratus, neq. alia uulgo cupienda uenalia erunt. Ad hoc prouidendum est, quonam modo Italia, atq. prouinciae tutiores sint: id quod factu haud obscurum est.nam ijdem omnia uastant, suas deserendo domos,& per iniuriam alienas occupando.item ne, uti adhuc, militia iniusta,aut inaequalis sit: cum alij triginta,pars nullum stipendium faciet:& frumentum id, quod antea praemium ignauiae fuit, per municipia,& colonias illis dare conueniet,cum stipendijs emeritis domos reuerterint. Quae reip. necessaria, ti-

biq.

biq. glorioſa ratus ſum, quampaucisſimis abſolui. non peius uidetur pauca nunc de facto meo diſſerere. Pleriq. mortales ad iudicandum ſatis ingenij habent, aut ſimulant: uerumtamen ad reprehendēda aliena facta, aut dicta ardet omnib. animus; uix ſatis apertum os, aut lingua prompta uidetur, quae dicta pectore euoluat: quib. me ſubiectum haud paenitet, magis reticuiſſe pigeret. nam, ſiue hac, ſeu meliore alia uia perges: a me quidem pro uirili parte dictum, & adiutum fuerit. Reliquum eſt, optare, uti, quae tibi placuerint, ea dij immortales approbent, beneq. euenire ſinant.

AD. C. CAESAREM DE. REPVBLICA ORDINANDA.

SCIO ego, quam difficile, atq. asperum factu sit, consilium dare regi, aut imperatori, postremo cuiquam mortali, cuius opes in excelso sunt: quippe cum & illis consultorum copiae adsint; neq. de futuro quisquam satis callidus, satisq. prudens, sit. quinetiam saepe praua magis, quam bona, consilia prospere eueniunt: quia pleraſq. res fortuna ex libidine sua agitat. Sed mihi studium fuit adolescentulo remp. capessere: atq. in ea cognoscenda multam, magnamq. curam habui: non ita, ut magistratum modo caperem, quem multi malis artib. adepti erant: sed etiam ut remp. domi, militiaeque, quantumq. armis, uiris, opulentia posset, cognitum habuerim. itaq. mihi multa cum animo magitanti consilium fuit, famam, modestiamq. meam post tuam dignitatem habere, & cuius rei lubet periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriae accederet. idq. non temere, aut ex fortuna tua, decreui; sed quia in te, praeter ceteras, artem unam egregie mirabilem comperi, semper tibi maiorem in aduersis, quam in secundis, reb. animum esse. sed per ceteros mortales illa res clarior est, quod & prius defessi sunt homines

lau-

laudando atq. admirando munificentiam tuam, quam tu faciendo, quae gloria digna essent. equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto reperiri posse, quod non cogitanti tibi in promptu sit. neq. ego, quae uisa sunt, de rep. tibi scripsi, quia mihi consilium, atq. ingenium meum amplius aequo probaretur: sed inter labores militiae, interq. proelia, uictorias, imperium, statui admonendum te de negotijs urbanis. namque, tibi si id modo in pectore consilij est, ut te ab inimicorum impetu uindices, quoq. modo contra aduersum consulem beneficia populi retineas: indigna uirtute tua cogites. sin in te ille animus est, qui iam a principio nobilitatis factionem disturbauit: plebé Rom. ex graui seruitute in libertatem restituit; in practura inimicorum arma inermis disiecit; domi militiaeq. tanta, & tam praeclara facinora fecit, ut ne inimici quidem queri quidquam audeant; nisi de magnitudine tua: quin accipe tu ea, quae dicam de summa reip. quae profecto aut tu uera inuenies, aut certe haud procul a uero. Sed, quoniam Cn. Pompeiua aut animi prauitate, aut quia nihil maluit, quam quod tibi obesset, ita lapsus est, ut hostib. tela in manus iaceret: quib. ille reb. remp. conturbauit, eisdem tibi restituenda est. Primum omnium, summam potestatem moderandi, de uectigalibus, sumptibus, iudicijs, senatorib. paucis tradidit, plebem Romanam, cuius antea summa potestas erat,

nosq. his quidem legib. in seruitute reliquit. iudicia, tametsi, sicut antea, trib. ~~d~~inib. tradita sunt, tamen iidem illi factiosi regunt, dant, adimunt, quae lubet: innocentes circumueniunt: suos ad honorem extollunt. non facinus, non probrum, aut flagitium, obstat, quo minus magistratus capiant: quod commodum est, trahunt, rapiunt: postremo, tamquam urbe capta, libidine, ac licentia sua, pro legib. utuntur. Ac me quidem mediocris dolor angeret, si uirtute partam uictoriam more suo per seruitium exercerent. sed homines inertissimi, quorum omnis uis, uirtusq. in lingua sita est, forte, atq. alterius secordia dominationem oblatam insolentes agitant. nam, quae seditio, aut dissensio ciuilis tot tamq. illustres familias ab stirpe euertit? aut quorum umquam uictoria animus tam praeceps, tamq. immoderatus fuit? L. Sylla, cui omnia in uictoria lege belli licuerunt, tametsi a Sulpicio hostium partes muniri intelligebat, tamen, paucis interfectis, ceteros beneficio, quam metu, retinere maluit. at hercule nunc cum Catone, L. Domitio, ceterisq. eiusdem factionis, quadraginta senatores, multi praeterea cum spe bona adolescentes, sicuti hostiae, mactati sunt: cum interea importunissima genera hominũ tot miserorum ciuium sanguine satiari nequiuerint: nõ orbi liberi, non parentes exacta aetate, non gemitus uirorum, luctus mulierum immanem eorum animum inflexit, quin, acerbius in dies ma

le

le faciundo, ac dicundo, dignitate alios, alios ciuitate euersum irent. Nam, quid ego de te dicam, cuius contumeliam homines ignauissimi uita sua commutare uoluntˀ scilicet neq. illistantae uoluptati est (tametsi insperantib. accidit) dominatio, quanto maerori tua dignitas: qui optatius habent, ex tua calamitate periculum libertatis facere, quam per te populi R. imperium maximum ex magno fieri. quo magis tibi etiam atq. etiam animo prospiciendum est, quoniam modo rem stabilias, communiasque. mihi quidem quae mens suppetit, eloqui non dubitabo. ceterum tui erit ingenij probare, quae uera, atq. utilia factu putes. In duas partes ego ciuitatem diuisam arbitror, sicut a maiorib. accepi, in patres, & plebem. antea in patrib. summa auctoritas erat, uis multo maxima in plebe. itaq. saepius in ciuitate secessio fuit: semperq. nobilitatis opes deminutae sunt, & ius populi amplificatum. sed plebes eo libere agitabat; quia nullius potentia super leges erat; neq. diuitijs, aut superbia, sed bona fama, factisq. fortib. nobilis ignobilem anteibat: humillimus quisq. in armis, aut militia, nullius honestae rei egens, satis sibi, satisq. patriae, erat. sed, ubi eos paullatim expulsos agris, inertia, atq. inopia incertas domos habere subegit: coepere alienas opes petere, libertatem suam cum rep. uenalem habere. ita paullatim populus, qui dominus erat, & cunctis gentib. imperitabat,

ritabat, dilapsus est: &, pro communi imperio, priuatam sibi quisq. seruitutem peperit. haec igitur multitudo primum malis morib. imbuta, deinde in artes, uitasq. uarias dispalata, nullo modo inter se congruens, parum mihi quidem idonea uidetur ad capessendam remp. ceterum, additis nouis ciuibus, magna me spes tenet, fore, ut omnes expergiscantur ad libertatē: quippe cum illis libertatis retinendae, tum his seruitutis amittendae cura orietur. hos ego censeo, permixtos cum ueterib. nouos, in colonijs constituas. ita et res militaris opulentior erit et plebes, bonis negotijs impedita, malum publicum facere desinet. Sed non inscius, neq. imprudens sum, cum ea res agetur; quae saeuitia, quae ue tempestates hominum nobilium futurae sint, cum indignabuntur omnia funditus miscerī, antiquis ciuib. hanc seruitutem imponi, regnum deniq. ex libera ciuitate futurū, ubi unius munere multitudo ingens in ciuitatem peruenerit, equidē ego sic apud animum meum statuo, malū facinus in se committere, qui incommodo reip. gratiam sibi conciliet. ubi bonum publicum etiā priuatim usui est: id uero dubitare aggredi, secordiae, atq. ignauiae duco. M. Liuio Druso semper consilium fuit, in tribunatu summa ope niti pro nobilitate: neq. ullam rem in principio agere intendit, nisi illi auctores fierent homines factiosi, quib. dolus, atq. malitia, fide cariora erant. ubi intellexerunt, per unum hominem

maxi-

maximum beneficium multis mortalib. dari: uidelicet & sibi quisq. conscius, malo atq. infido animo esse, de M. Liuio Druso iuxta, ac de se, existimarunt. itaq. metu, ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eam nixi, sua ipsius consilia disturbauerunt. quo tibi imperator maiore cura fideq. amici, & multa praesidia paranda sunt. hostem aduersum deprimere, strenuo homini haud difficile est; occulta pericula neq. facere, neq. uitare, bonis in promptu est. Igitur, ubi eos in ciuitatem adduxeris; quoniam quidē renouata plebs erit, in ea re maxime animum exercitato, ut colantur boni mores; concordia inter ueteres, & nouos, coalescat. sed multo maximum bonum patriae, ciuibus, tibi, liberis, postremo humanae genti, pepereris, si studium pecuniae aut sustuleris, aut, quoad res feret, minueris. aliter neq. priuata res, neq. publica, neq. domi, neq. militiae, regi potest. nam, ubi cupido diuitiarum inuasit: neq. disciplina, neq. artes bonae, neq. ingenium ullum satis pollet: quin animus magis, aut minus mature, postremo tamen succumbit. Saepe iam audiui, qui reges, quae ciuitates, & nationes, per opulentiam magna imperia amiserint, quae per uirtutem inopes ceperant. id adeo haud mirandū est. nam, ubi bonus deteriorem diuitijs magis clarum, magisq. acceptum uidet; primo aestuat, multaq. in pectore uoluit: sed, ubi gloria honorem

magis

magis in dies, uirtutem opulentia uincit: animus ad uoluptatem a uero deficit. quippe gloria induſtria alitur: ubi eam dempſeris, ipſa per ſe uirtus amara, atq. aſpera eſt. poſtremo, ubi diuitiae clarae habentur, ibi omnia bona uilia ſunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. nam ad uirtutem una, & ardua uia eſt: ad pecuniam, qua cuiq. lubet, nititur: & malis, & bonis reb. ea creatur. ergo in primis auctoritatem pecuniae demito: neq. de capite, neq. de honore ex copijs quiſquam magis, aut minus iudicauerit; ſi neq. praetor, neq. conſul, ex opulentia, uerum ex dignitate, creetur. ſed de magiſtratu facile populi iudicium fit. iudices a paucis probari, regnum eſt; ex pecunia legi, inhonestum. quare omnes primae claſſis iudicare placet, ſed numero plures, quam iudicant. neq. Rhodios, neq. alias ciuitates umquam ſuorum iudiciorum paenituit: ubi promiſcue diues, et pauper, ut cuiq. ſors tulit, de maximis reb. iuxta, ac de minimis diſceptat. ſed de magiſtratib. creandis haud mihi quidem abſurde placet lex, quã C. Gracchus in tribunatu promulgauerat; ut ex confuſis quinq. claſſib. forte centuriae uocarentur. ita coaequati dignitate, pecunia, uirtute anteire alius aliũ properabit. nec ego magna re media contra diuitias ſtatuo. nã perinde omnes res laudantur, atq. appetuntur, ut earum rerum uſus eſt: malitia praemijs exercetur. ubi ea dempſeris, nemo omnium gratuito malus eſt. ceterum

terum auaritia bellua fera, immanis, intoleranda est: quo intendit, opida, agros, sana, atq. domos, uastat: diuina cum humanis permiscet: neq. exercitus, neq. moenia obstant, quo minus ui sua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atq. parentib. cunctos mortales spoliat. uerum, si pecuniae decus ademeris: magna illa uis auaritiae facile bonis morib. uincetur. atq. haec ita sese habere tametsi omnes aequi, atq. iniqui memorent: tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum est: cuius si dolum caueris, alia omnia in procliui erunt. nam hi, si uirtute satis ualerent, magis aemuli bonorum, quam inuidi, essent. quia desidia, & inertia, & stupor eos, atq. torpedo, inuasit: stre punt, obtrectant, alienam famam suum dedecus existimant. Sed, quid ego plura, quasi de ignotis memorem? M. Bibuli fortitudo, atq. animi uis, in consulatum erupit: hebes lingua, magis malus, quam callidus ingenio. quid ille audeat, cui consulatus maximum imperium maximo dedecori fuit? An L. Domitij magna uis est, cuius nullum membrum a flagitio, aut facinore uacat? lingua uana, manus cruentae, pedes fugaces; quae honeste nominari nequeunt, inhonestissima. Vnius tamen M. Catonis ingenium uersutum, loquax, callidum haud contemno. parantur haec disciplina Graecorũ. sed uirtus, uigilantia, labos, apud Graecos nulla sunt. quippe, cum domi libertatem suam per in-

ertiam

ertiam amiserint ; censes ne eorum praeceptis imperiũ haberi posse? Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles : in quibus, sicut instituo, praeter nomen ; nihil est additamenti. L. Postumius,& M. Fauonius, mihi uidentur quasi magnae nauis superuacua onera esse, ubi salui peruenire uisi sunt : si quid aduersi coortum est, de illis potissimum iactura fit ; quia pretij minimi sunt . Quoniam nunc, ut mihi uideor, de plebe renouanda , corrigendaq. differui : de senatu , quae tibi agenda uidentur,dicam. Postquam mihi aetas , ingeniumq. adoleuit ; haud ferme armis , atq. equis,corpus exercui; sed animum in litteris,quod natura firmus erat in laboribus,habui . atq. ego in ea uita multa legendo , atq. audiendo ita comperi , omnia regna, ciuitates,nationes usq. eo prosperum imperium habuisse , dum apud eos uera consilia ualuerunt : ubicũq. gratia , timor, uoluptas, ea corrupere, post paullo imminutae opes , deinde ademptum imperium , postremo seruitus imposita est. equidem ego sic apud animum meum statuo ; cuicumq. in sua ciuitate amplior,illustriorq. locus, quam alijs , est , ei magnam curam esse reip. nam ceteris , salua urbe , tantummodo libertas tuta est: qui per uirtutem sibi diuitias , decus, honorem,pepererunt ; ubi paullum inclinata resp.agitari coepit , multipliciter animus curis , atq. laborib. fatigatur : aut gloriam , aut libertatem, aut rem familiarem,defensat : omnib.

locis adeſt, feſtinat: quanto in ſecundis reb. florentior fuit, tanto in aduerſis aſperius, magisq. anxi, agitat. Igitur, ubi plebs ſenatui, ſicut corpus animo, obedit, eiusq. conſilia exſequitur: patres conſilio ualere decet, populo ſuperua canea eſt calliditas. itaq. maiores noſtri, cum bellis aſperrimis premerentur, equis, uiris, pecunia amiſſa, numquam defeſsi ſunt armati de imperio certare: non inopia aerarij, non uis hoſtium, non aduerſa res, ingentem eorum animū ſubegit, quin, quae uirtute ceperant, ſimul cum anima retinerent. atq. ea magis fortib. conſilijs, quam bonis proelijs, patrata ſunt. quippe apud illos una reſp. erat; ei conſulebant; factio contra hoſtes parabatur: corpus, atq. ingenium, patriae, non ſuae quiſq. potentiae, exercitabat. at hoc tempore contra homines nobiles, quorum animos ſecordia, atq. ignauia, inuaſit, ignari laboris, hoſtium, militiae, domi factione inſtructi, per ſuperbiam cunctis gentib. moderantur, itaq. patres, quorum conſilio antea dubia reſp. ſtabiliebatur, oppreſsi ex aliena libidine huc, atq. illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia, decernunt: uti eorum, qui dominantur, ſimultas, ac arrogantia, fert, ita bonum, malumq. publicum exiſtimant. qnod ſi aut libertas aequa omnium, aut ſententia obſcurior eſſet: maiorib. opib. reſp. & minus potens nobilitas eſſet. ſed, quoniam coacquari gratiam omnium difficile eſt; quippe cum illis

ma-

maiorum uirtus partam reliquerit gloriam, dignitatem, cliẽtelas: cetera multitudo pleraq. inscia, sit sententia eorum a metu libera. ita occulto sibi quisq. alterius potentia carior erit. libertas iuxta bonis, & malis, strenuis, & ignauis optabilis est. uerum eam pleriq. mẽtu deserunt. stultissimi mortales, quod, in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se, quasi uicti, recipiunt. Igitur duab. reb. confirmari posse senatum puto: si numero auctus per tabellam sententiam feret. tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine, & praesidij plus, & usus amplior est. nam fere, his tempestatibus, alij iudicijs publicis, alij priuatis suis atq. amicorum negotijs implicati, haud sane reip. consilijs adfuerunt: neq. eos magis occupatio, quam superba imperia distinuere. homines nobiles cum paucis senatorijs, quos additamenta factionis habent, quaecumq. libuit probare, reprehendere, decernere, ea, uti libido tulit, fecere. uerum ubi, numero senatorum aucto, per tabellam sententiae dicentur; illi superbiam suam dimittent, ubi ijs obediendum erit, quib. ãntea crudelissime imperitabant. Forsitan imperator perlectis litteris decernes, quem numerum senatorum fieri placeat; quoq. modo in multa, & uaria officia distribuatur; & quoniam iudicia primae classis mittenda putem, quae descriptio, qui numerus in quoq. gene . futurus sit. ea mihi omnia generatim de-

scri-

ſcribere haud difficile factu fuit: ſed prius laborandum uiſum eſt de ſumma conſilii. idq. tibi probandum uerum eſſe. ſi hoc itinere uti decreueris; cetera in promptu erunt. uolo ego conſilium meum prudens, maximeq. uſui eſſe. nam, ubicumque tibi res proſpere cedet, ibi mihi bona fama eueniet. Sed me illa magis cupido exercet, ut quocumq. modo, & quamprimum reſp. adiuuetur. libertatem gloria clariorem habeo. atq. ego te oro, hortorque, ne clariſsimus imperator, Gallica gente ſubacta, populi R. ſummum, atq. inuictum imperium tabeſcere uetuſtate, ac per ſummam ſecordiam dilabi, patiaris. profecto, ſi id accidat, neq. tibi nox, neq. dies cura animi ſedauerit; quin in ſomniis excitus furibundus, atq. amens alienata mente feraris. namq. mihi pro uero conſtat, omnium mortalium uitam diuino numine inuiſi: neq. bonum, neq. malum facinus cuiuſquam pro nihilo haberi: ſed ex natura diuerſa praemia bonos, malosq. ſequi. interea forte ea tardius procedunt; ſuus cuiq. animus ex conſcientia ſpem praebet. quod ſi tecum patria, atq. parentes poſſent loqui, ſcilicet haec tibi dicerent. O Caeſar, nos te genuimus fortiſsimi uiri in optima urbe, decus, praeſidiumq. nobis, hoſtib. terrorem. quae multis laboribus, & periculis ceperamus, ea tibi naſcenti cum anima ſimul tradidimus, patriã maximam in terris, domum, familiamq. in patria clariſsimã, praeterea bonas artes, honeſtas diui

tias,poſtremo omnia honeſtamēta pacis,& prae mia belli.pro his amplisſimis beneficiis non fla gitium a te,neq. malum facinus,petimus,ſed u- ti libertatem euerſam reſtituas. qua re patrata, profecto per gentes omnes fama uirtutis tuae uolitabit.namq. hac tempeſtate, tametſi domi, militiaeq. praeclara facinora egiſti;tamen glo- ria tua cum multis uiris fortib. aequalis eſt:ſi ue ro urbem ampliſsimo nomine, & maximo im- perio, prope iam ab occaſu reſtitueris; quis te clarior, quis maior, in terris fuerit? quippe ſi morbo iam,aut fato huic imperio ſecus accidat: cui dubium eſt, quin per orbem terrarum uaſti- tas,bella,caedes,oriantur? quod ſi tibi bona libi do fuerit,patriae, parentib. gratificandi: poſte- ro tempore,rep. reſtituta, ſuper omnes morta- les gloria agnita, tuaq. unius mors uita clarior erit. nam uiuos interdum fortuna, ſaepe inui- dia, fatigat: ubi anima naturae ceſsit, demptis obtrectatorib. ipſa ſe uirtus magis, magisq. ex- tollit. Quae mihi utiliſsima factu uiſa ſunt, quaeq. tibi uſui fore credidi, quam paucisſimis potui,perſcripſi. ceterum deos immortales ob- teſtor,ut,quocumq. modo ages,ea res tibi,reiq. pub. proſpere eueniat.

DE . PORCIO . LATRONE

cuius infra Declamatio in Catilinam legitur, haec Seneca in prologo Declamationum.

LATRONIS Porcii, cariſsimi mihi ſodalis, memoriam ſaepius cogor retractare, & a prima pueritia uſq. ad ultimum eius diem productam familiarem amicitiam cum uoluptate maxima repetam. Nihil illo uiro grauius, nihil ſuauius, nihil eloquentia ſua dignius. nemo plus ingenio ſuo imperauit, nemo plus indulſit. in utraq. parte uehementi uiro modus decrat: nec intermittere ſtudia ſciebat, nec repetere. cum ſe ad ſcribendum concitauerat, iungebantur noctib. dies, & ſine interuallo grauis ſibi inſtabat; nec deſinebat, niſi defecerat. rurſus, cum ſe dimiſerat, in omnes luſus, & in omnes iocos, ſe reſolue bat. Cum uero ſe ſiluis, montibusq. tradiderat, omnes illos agreſtes, in ſiluis, ac montib. natos, laboris patientia, ac uenandi ſollertia, prouocabat: & in tantam ſic uiuendi peruenerat cupiditatem, ut uix poſſet ad priorem conſuetudinem retrahi. at, cum ſibi manum iniecerat, & ſe blandiendo, quo abduxerat, reuocabat; tantis uirib. incumbebat in ſtudium, ut non tantum nihil perdidiſſe, ſed multum acquiſiuiſſe, deſidia uideretur.

De eodem idem sic controuersiarum
lib. v. cap. xxiv.

In foro, ut nihil aliud, ipsum illos forum turbat. hoc, quod uulgo narratur, an uerum sit, tu melius potes scire; declamatoriae uirtutis LATRONEM PORCIVM unicum exemplum, cum pro reo in Hispania Rustico Porcio, propinquo suo, diceret, usq. eo esse confusum, ut a soloecismo inciperet; nec ante potuisse confirmari, ac parietes desiderantem, quam impetrauit, ut iudicium ex foro in basilicam transferretur.

PORCII. LATRONIS DECLAMATIO. CONTRA L. SERGIVM. CATILINAM

Si quid precib. apud deos immortales, sanctissimi iudices, uobiscum aliquando ualuissemus: iamdudum & potiremur rep. nostra florentissima; & ciues nostros haberemus tum studiosos rerum gerendarũ, tum patriae simul, ac uirtutis amantissimos: idq. temporis eximia laetitia frueremur, cum rationes omnes dicendi nostras in laudem summorũ, atq. optimorũ ciuium consumendas esse uideremus. nihil enim statuimus animo dignius nec auctoritate maiorum, nec opinione populari, quam in eo genere uersari forensis exercitationis,

tionis , quaé canere laudes egregias ſummorum hominum poſſet , atq. animos inflammare noſtrae ciuitatis ad imitandum. uerum dicendi uoluptas olim,ſapientiſsimo uiro,M.Catoni,plane contigerit,nec non & Galbae,Scipioni,Gracchis,Porcinae,Craſſo,atq.Antonio, sūmis , atq. ornatiſsimis oratoribus:quorum tempora ſingulari praeſtantia uirtutis, ac ſtudio paene incredibili pulcherrimarum artium floruerunt . nobiſcum uero,ſententia noſtra,bene ageretur, ſi modo tantum abeſſemus ab illa modeſtia temporū, atq.hominum,nec incidiſſemus in atrociſsimos reip.fluctus, ac miſerandam temporum calamitatem.Marco ſiquidem Catoni,&Scipioni,coaetaneo ſuo, monumentis immortalib. huius urbis , & ſine dubio clariſsimis luminib. temporū ſuorum , de legib. dicendum erat , de inſtitutis maiorum,de gloria militari, perſaepe de laudibus,ac uictorijs . nobis uero , qui deuenimus in hanc truculentam temporum condicionem,ſublata eſt omnis gratia dicēdi , atq. interceptus locus omnis aut iucundiſsimi ſermonis, aut conciliandae beneuolentiae popularis. nam,ſi quando uox noſtra ſiue a foro , ſiue a curia deſideratur; dicendum eſt perpetuo nobis aut de taeterrimis huius patriae calamitatibus , aut de nefarijs oppreſsionib. ciuium,aut de perditae iuuentutis nunc impudicitia flagitioſa , nnnc ignauia ſingulari.quare peſtium quāta in dies redundatio eſt, uos eſtis teſtimonio,iudices,quorum au

res caluerunt aſsiduitate paene quotidiana, copiaq. incredibili ciuilium controuerſiarum. Diximus equidem paucis ante diebus,ut probe meminiſſe poteſtis,de L. Glabrionis immanitate, atq. audacia,furioſiſsimi hominis,& ſine dubio crudeliſsimi; cuius in ſenatu ſica pridie deprehenſa eſt,qua M. Papirium,lucem omnis patriciae dignitatis,exſtinguere moliebatur.nunc uero dicendum eſt de L. Catilinae ſceleratiſsima mente,atq.inuſitata nequitia;quam nuper,in omnium ciuium perniciem,ſtragemq.redundaturam, dij immortales in auctorem ſceleris, tum benignitate ſua, tum conſulari uigilia, retorſerunt.quaeſo igitur,iudices,diligenter attendite, remq. cognoſcite barbaram crudelitate, periculo uero,& calamitate reip.pernicioſiſsimam.Lucius ſiquidem Catilina,nō ignobili genere praeditus,neq. infima uirtute, ſi dotes egregias tum forrunae,tum corporis,ad dignitatem urbis,nō ad perniciem, conferre ſtatuiſſet, remp. nuper ex atrociſsimis bellorum ciuilium uulnerib. paulliſper reſpirantem nouis inſidijs opprimere conatus eſt. quid exhorruiſtis, iudices? non modo opprimere conatus eſt, ſed crudeliſsime uexare; non uexare tantum, ſed inaudito quodam genere feritatis exſtinguere.manum ad id comparat,diuerſam quidem genere, ſed magnitudine ſceleris, uitaeq. ſimilitudine,paene eandem: quam exacerbatam continua paenuria rei familiaris, & ob id deſiderio praedae mirabili-

ter flagrantem, illecebrae sibi facillime concilia uerunt. consilia nefarij facinoris in amplissimi ciuis M. Laecae domo decoquebantur: ad eam greges confluebant perditorum adolescentium; quorum hic familiaritatem eximiam consecutus fuerat, conciliatam partim assuetudine stupri, partim genere quodam nefariae largitionis. adhibiti sunt & coetus barbarorum hominum, nobilitati non solum magnitudine, & summa aeris alieni, uerum etiam consuetudine, ac studio, turpissimarum rerũ. nec alae muliebres ab eo coetu religioso, nocturno, prorsus abfuisse iudicatae sunt. nulla deniq. portenta urbis, nullae finitimarum regionum pestes, repertae sunt, quae non denotatae sollertissime per hũc, per magnitudinẽ inopiae facillime concitatae, repente deuolauerint in aream ipsam nefariae, atq. flagitiosae, coniurationis. Ratio consiliorum fuit, ut Saturnalib. proxime futuris uniuersi cum armis ad ipsius Laecae domum praesto forent; ibiq. dato signo collaberentur omnes, partim ad diripiendam, inflammandamq. urbem, partim ad trucidandum senatum, partim ad eos conficiendos, qui praesidium urbi ferre uoluissent; Catilinã interim omnes & ducem, & imperatorẽ appellarent. Audistis, iudices, satis euidẽter, ut arbitror, consiliũ sceleratissimi hominis Catilinae, reiq. ĩdignissimae miserabilẽ ac detestabilẽ crudelitatẽ: nũc uero audienda causa est, agnoscẽdaeq. faces, quib. ille flagrauit ad cupidi

tatem huiuſmodi ſcelerati facinoris obeundam. quas ſi plane comprobatas uobis,ut arbitror,pla neq. illuſtratas euidentib.ſignis attulero: nihil erit impedimento,quin hoſtem reip.crudeliſsimum,atq.infeſtiſsimum,ſummis ſupplicijs,ſummis cruciatib. multandum, ac mactandum,eſſe iubeatis.Tria,iudices,ſententia mea, ſcelerata, crudelia,flagitioſa,inaudita,quae mentem Catilinae ſemper immoderatã, ſemperq.nouis reb. ſtudentem, ad exitium patriae commouerunt, nunc dicenda ſunt: primum,ratio quaedam triſtis ſimultatis; qua ductus uniuerſum ſenatum ex memoria repulſae conſulatus capitaliter fuit ſemper inſectatus: ſecundo, rabies quaedam temerariae ambitionis, ſitiens immodicae gloriae,prorſusq. inflammata perpetua quadã, & ſingulari cupiditate dominandi: poſtremo, coetus infames turpiſsimorum hominum, non modo fatigati diuturno malo domeſticae neceſſitatis, uerum etiam imbuti flagitijs, ac conſuetudine ſcelerum, ſempiterna comite, & genitrice peſsimarum cupiditatum. quod genus hominum Catilinam ſuum,etiam dormientem, e ſomno facillime excitare uoluiſſet.his autẽ oſtenſis breuiter,ſaneq.confutatis,quae pro defenſione flagitiorum ſuorum noſtri aduerſarij dicenda eſſe putauerunt, finem adeſſe uobis intelligetis.Bello Mithridatico,iudices,longiſsimo quidem omnium,& ſine dubio poſt Punicum periculoſiſsimo, cum diutius in ſenatu de eligendo

impe-

imperatore dubitatũ fuiſſet, planeq. omnes ambigerent, quisnam ſagaciſsimo regi ſagaciſsimus noſter imperator opponeretur: Catilinam inter omnes competitores, incredibili quadam ambitionis magnitudine deflagrantem, omnes ſenatoriae ſententiae reiecerunt. eo telo percuſſus adeo Catilina fuit, ut poſtea nullam omiſerit neq. perturbandae curiae, neq. infectandi ſenatus occaſionem. uidebat namq. deteſtandam cupiditatem ſuam, illo ſuperſtite, numquam in eũ locum peruenturam, de quo illam pridem uniuerſae omnium uoces eijciendam eſſe putauiſſent. uoluebat item animo ſummas uitae neceſsitates: quib. exſuere ſe poſſe arbitrabatur, ſi qua ratione praeclaris magiſtratib. adſpiraſſet. nunc illas uero magis ac magis inſtauratas quotidie intelligebat: quãdoquidem inſpicerent omnes, uitae ſuae rationes ea ſententia iugulatas prorſus exſtitiſſe, ac quidquid increpuiſſet ulterius, metuendam eſſe conſularem uigiliam, metuendum eſſe iudicium ſenatoriae auctoritatis. hanc uero ſpeciem, ita exſanguem, ita conſternatam, conſuetudo erexit uitae prauiſsimae ad omne facinus, neq. otij ſui patiens, neq. alieni. Qualis eius uita fuerit, etſi praeclare conſcientia publica teneatur: huic tamen illuſtrandae ſeu patefaciendae teſtes indubitati uideri poſſunt ij, qui ſacrarium illud libidinum colere, atq. obſeruare, conſueuerunt. quae nugae, dij immortales? quae portenta ſcelerum? qui libidinum gurgites?

quae

quae ſentinae flagitioſorum? Verum is rumor ſparſus eſt de morib. Catilinae, eaq. gentium opinio peruagata, quatenus exiſtimem uoces ipſas publicas non hominum eſſe, ſed oraculi potius, nuncupandas. famā uero popularem, a maiori b. noſtris ſaepenumero accepimus, neq. temere umquam naſcituram eſſe, neq. temere occaſuram. Decus illud egregium corporis non ad dignitatem nominis, ac gloriae, ſicuti par erat homini nobiliſsima familia nato, ſed, uti latro perditiſsimus, ad omne genus flagitij conferendum fuiſſe ſemper arbitratus eſt. uires ad ſtuporem hominum praeclarae, atq. inuſitatae, perpetua uoluptatum intēperantia ſunt labefactatae. flos pueritiae uenuſtiſsimae ad intuentium iucunditatem, cui non libidini patuit flagitioſae iuuentutis? aut quam turpitudinis notam nō ſub eundam ultro, atq. accerſendam, eſſe cogitauit? lux illa uero praeclari, atq. excellentis ingenij, quam omnes diuinam ſemper, & ſingularem, atq. inuſitatam, penitus eſſe arbitrabantur, non ne inter foediſsimas uoluptatum ſordes reſtincta eſt? omitto peſtis huius impuriſsimas uoces, mollitiem ſcenicam, obtuitus impudicos, blanditias muliebres, & omnem deniq. copiam non mediocrium uitiorum ſub illa frontis erudita ſimul, atq. inſigni pulchritudine deliteſcentem. praetereo mentem illius plus quam gladiatoriam, ſitim incredibilem humani cruoris, mirum inconſtantiae genus; uultum nunc demiſſum,

missum,nunc alacrem,nunc anhelantem scelus, nunc gratia meretricia floreſcentem; ſummum pecuniae deſiderium,ſummam ſimul prodigalitatem;contemptum incredibilem omnium bonorum,itemq.eximiam cum ſummis, atq. ornatiſsimis,ciuib. familiaritatem. nihil enim fuit iſto monſtro uerſipellius,aut mutabilius hominum memoria: ita ut res diuerſiſsimae ſaepenumero uideantur in eodem ingenio,tamquam in ſentina quadam taeterrima, ſimul redundare. Quis igitur dubitandum eſſe putauerit, hominem praeditum huiuſce inſtitutione uitae, remotiſsimum ab omni genere humanitatis,perfacile ſeſe taeterrimo cuique,atq.immaniſsimo, facinori fuiſſe accommodaturum? Fontem aperuimus,iudices,omnium Catilinae morum,atq. omnis cõſuetudinis, unde illi demanauiſſe uim iſtam praeclaram conſiliorum,facillime intelligendum eſt:nunc uidendum eſt,ſpẽ atrociſsimi ſceleris unde illi ſubminiſtratam fuiſſe iudicemus.Cũ hic itaq.ſecum repeteret memoria miſerandã ignominiam comitiorum,turpesq. anguſtias afflictae rei familiaris, ſimulq.intueretur, uel ſibi uiuendum, ac moriendum fore cum turpitudine ſumma,uel ſenatum nullum eſſe oportere; de ratione tollendi ipſius primum cogitare coepit.nam,illo deleto, ſine dubio iutelligebat,uiam latiſsimam libidinib.ſuis continuo patere. uertit itaq. oculos ad innumerabilem copiam iuuentutis, qua dies, ac noctes ſtipabatur

in

in exercenda consuetudine suarum cupiditatū: cum putauit manum ipsam hominum, tamquā hastam ualidissimam furoris sui, facillime sibi accommodari posse, quam contorqueret in omnium nostrum ruinam, atq. interemptionem; ut quam cognouerat educatam uitae prauissimae institutis, imbutam saepenumero sanguine miserorum ciuium, ardentem incredibili desiderio praedae, sibi uero mira familiaritate conciliatam. genus est hominū uehementer exercitatum ferro, atq. inopia, duab. reb. ad omne genus facinoris paratissimum: quod quidem ego ciuitati nostrae, maxime debilitatae bellis ciuilibus, atq. afflictae, magnitudine calamitatū, magnopere pertimescendum esse iudico. nihil enim illis praeter spem, atq. animā fortuna reseruauit, alteram ad differendam uitae necessitatem, alteram ad liuorem suum magnifice accommodatam. nihil illis contemptibilius: quos siquidem rudimēta uitae traducta in hac tenuissima re deposita nunc in gladiatorijs muneribus, nūc alia facinoris atrocitate partim ad omne scelus, partim ad omnē patientiam erudierunt. uerum hae pestes, sententia mea, quo fuerint abiectiores, eo magis extimescendas esse reor, tamquam perpetuo seditionum ciuilium, ac rerum nouandarum auidissimas: siue quia uoluptatem capiant ex maerore sociae calamitatis: siue quia ciuitatum uersutiam, mutabilitatem rerum suarum portendi quodam modo arbitrantur. hi sunt quidem,

dem,quos in foro quotidie in oculis ciuium calamiſtratos,ac ueſtib. collucentes paſsim obuolitare cernimus,fortunas omnium popularium, atq. otium ciuitatis luminib. conſignantes: qui non modo arrecti permanent ad opportunitatem cuiuſpiam praeſentis commodi,uerum etiam geſtiunt ad opinionem ſperatae utilitatis. Si feras quidem omnis generis,quo magis attenuatae fuerint paenuria edendi, eo magis praecipites,atq. effrenatas ruere in perniciem uidemus: quid hanc deſperatorum colluuiem, ieiunam, ſitientem facultatū noſtrarū, quo impetu, quaue ſtrage ruiturā eſſe creditis,aut debacchaturam,ſi ſe carcerib. emiſerit? cum illae ratione careant,atq. intelligentia;hi uero non abſint penitus ab ipſa facultate intelligendi. Grauiſsimi quidemſunt morſus irritatae neceſsitatis.dii immortales, quae clades ab illa feritate hominum, quae genera flagitiorum emanauiſſent, ſi nocturnus iſte imperator quaſi quaſdam rapidiſsimas belluas in urbis penates immittere potuiſſet?horret animus,iudices,ea cogitatione complecti, quae miſeri pertuliſſemus, ſi ſopor oculos cōſulares detinuiſſet: reſtinguenda eſt itaq. flamma nobis ſcelerata,& atrox;dum adhuc uelata cineribus,ac ſopita,facultas reſtinguendi leuiſsime data eſt:ne, cum omnia comprehenderit,(quod immortales dii penitus auertant) nos fruſtra poſtmodum furibundam, atq. exſultantem,reſtinguere cupiamus.neq. rectorem, nauis

uis audiendum prorsus existimo, in ipso maero re calamitosae tempestatis, quam illi fugere facillime licuisset, consurgentem primo, sibique, ac reb. suis, naufragium minitantem: neq. item gubernatorem urbis in ipso excidio, & calamitate, ciuitatis, quam impendentem prius ipse consilio suo, suaq. prudentia, sustinere quodam modo, ac propulsare, potuisset. serae sunt hominum lamentationes, prorsusq. uituperandae, quas occupatas in iis lugendis cernimus, quae uitio suo, desidiaq. contigerunt. Callicratidi, Lacedaemoniorū duci, cum ornatissimam, cui praeerat, classem funditus amisisset propter immoderatam gloriae cupiditatem, nihil ad eā restituendam nouissima consilii ratio suffragata est; quā ita seruare poterat, si modo in statione continuisset. Terentio Varroni sempiternum dedecus, atq. immortale monumentum, erunt flagitiosae turpitudinis deletae ad Cannas temeritate sua pulcherrimae Romanorum legiones: quae seruatae periculosissimo tempore reip. sine dubio fuissent & robur eximiū pulcherrimae urbis, & perpetuū decus consularis prudentiae, disciplinaeq. militaris. recte itaq. maiores nostri summis laudib. efferēdi sunt, qui Sp. Meliū, qui Gracchos, qui Manlium Capitolinum, qui Drusum, qui Saturninum, fortissimos homines, & reip. saepenumero non mediocriter opitulatos, quod deuenissent in affectae tyrannidis suspicionem, morte multandos esse putauerunt.

uerunt. nec Sp. Melio fauor amplissimus ciuitatis, nec Gracchis aui sui Scipionis, clarissimi uiri, memoria, nec Manlio celeberrima gloria Capitolii liberati, nec Druso sanctissimi sui penates, nec Saturnino ius sacrosanctae dignitatis, auxiliata est. quid ita? quia necem paucorũ, aut unius hominis, calamitati publicae maiores nostri semper anteponendã esse putauerunt. quid? genus crudelitatis eximium non sunt arbitrati, ciues eos perimere, summisq. affligere supplitiis, quorũ in remp. persaepe clarissima beneficiorũ genera exstitissent? minime. quid ita? quia nullum satis dignum supplicii genus in eos consumi posse opinabantur, qui patriae suae libertatem opprimere statuissent: nec illos ciues esse iudicauerunt, quos abiecisse rationem patriae caritatis intuerentur. at contra, eos, qui tales interemissent, non modo dici, atq. appellari, ciues, ut essent, statuebant, sed afficiendos fore immortalib. donis, ac sempiternae hominum memoriae consecrandos. quid enim potest indignius dici, quã uitam, a patria susceptam, ad illius perniciem, calamitatemq. conferre? quid fingi sceleratius, quam eorum poenas, ac crudelissimam seruituté excogitare, quos iisdem moenibus, ac tectis, constitutos eaedem leges, atq. eadem uiuendi ratio continuisset? quid deniq. potest intolerabilius existimari, quam inferre delubris deorum immortalium, a facultatib. nostris illinc sceleratas faces, hinc acerbissim.s

mas expilationes? haec qui curauerunt, iudices, aut qui tentauerunt, numquam ego alienos ab hoſtibus, aut diſsimiles feritati beſtiarum exiſtimabo. Vidimus de ſpe perficiendi nefarii facinoris: uidendum eſt de loco, quam latebram commodiſsimam & tutiſsimam egregius artifex delegit cum cõtegendae conſpirationi ſuae, tum armis omnib. eius artificii comprehendendis: ne forſan temere domum nobiliſsimi ciuis, atq. opulentiſsimi M. Laecae delectam eſſe iudicetis. primum homo delectus eſt huiuſmodi nefariis cupiditatib. affinis, quo participe ſemper uſus fuerat conſiliorũ ſuorum, adiutore taeterrimarum libidinum, ſocio maximorũ periculorum: cui, ſpectato frequenter in difficillimis rebus, ſummã huiuſmodi atrociſsimi mali tuto committi poſſe, facillime ſibi pollicebatur. praeterea domũ ſibi deligendã eſſe iudicabat, ſolitudine locorũ deſertã, & ab omni frequentia populi remotiſsimã; quae ſcilicet uoces cõiurationis tutiſsime continere poſſet. cõtulit igitur ſeſe in ipſam M. Laecae domũ, remotam ab omni celebritate, conſtipatã multitudine arbuſcularũ, & ab omni ſuſpicione prodendi facinoris non mediocriter abhorrentem. quos uero tetenderit ibi coniurationis laqueos, aut quas catenas ſcelerũ cõflauerit nobis, ac facultatibus noſtris, Saturnaliũ dies patefactura fuerat, niſi primum benignitate deorum immortalium, deinde, uigilantia conſulari, nefariae ſicae de manib. latronum

exci-

excidiſſent. nullas amplius tendiculas pertimeſcamus ab exſecrabili monſtro, nullas inſidias ab hoſte taeterrimo . tenetur fera; nec, ſi uiri eſtis, declinatura eſt telum ipſum ſacroſanctae ueſtrae auctoritatis. Ne ue, Catilina, neſcias, uigilantiſsimos conſules habere remp. te, quocumq. ueneris, quocumq. abieris, diligentia noſtra circumſaeptum teneri: quid heſterna nocte cõciunculis tuis agitatum ſit, licet mecũ recognoſcas . Cum ad M. Laecam ueniſſes, cum uno ex fideliſſimis commilitonib. tuis, ad multam noctem; teq. in interiorem una cum illo cubiculi partem recepiſſes, tamquam in ſacrarium memorabile cupiditatum ueſtrarum: repente de Laeca ſciſcitari coepiſti, num quis ex coniuratis aduenisſet: cum ſubito Lentulus, ac Cethegus, taeterrima capita maleficiorum omnium, furibundi, atq. alacres, irruperunt, moxq. ingreſsi uociferare coeperunt: quid agis, Catilina? cur uoluptates noſtras diutius remoraris? praeſto ſunt Saturnalia nobis otioſis, atq. oſcitantibus, quem unnm diẽ ſaepenumero nuncupare ſolitus es euerſorẽ ſuperbiſsimi ordinis, fugatorem aerumnarum noſtrarum, lucem, ac principem uniuerſae noſtrae dignitatis. nũ in gerẽdis negotijs ignoras ſequẽdas eſſe temporum opportunitates, & in occaſione rerum deſidiam, ac tarditatem, omnem quam diligentiſsime fugiendam? mutabiliſsimae quidem ſunt deorum uoluntates: & fortunam, cum abire permiſeris, fruſtra poſtmodum diſ-

cedentem, ac fugientem, sis imploraturus . talia uero conquerentem tu, paucis pro re subsecutus, Aquilam argenteam proferri continuo iussisti, praeclaram auspicem, ac gubernatricem furoris tui futuram. testor noctem ipsam, impiarum molitionum tuarum cõsciam, ac testem, nihil ex ijs me fugisse, quae clandestini uestri conatus agitauerunt . perpauca satis attigisse fuerit, ne solitudine in ipsa latibulorum tuorum, cum ora uulgi plane deuitauisses, fefellisse te crederes diligentiam pariter, atq. industriam consularem. Linquo telorum innumerabilem, atq. inexcogitatam copiam, quam in ijsdem furialib. antris constipandam, atq. occultandam, fore curauisti: mitto litteras, manu tua scriptas, diuersis municipijs reddendas, quo furori tuo succurrere, atq. opitulari, uellent: transeo rem illam simillimam prodigio, cum mane, isto iam coacto senatu, redundantibusq. subsellijs, serius in senatum praeter consuetudinem uenisses: quod nulli non oculi te senatorum statim consignarunt ingredientẽ, demisso uultu, pallore terribili, luminib. errantibus, ac facie praeseferente nescio quid inusitatae crudelitatis. praeterea Saturnalib. proxime futuris rẽ adoriri placuit, quo die ciuitas omnis feriata publico edicto conferre sese in montem Auentinum, ac rusticari quodam modo, solita est: cum tu manum furoris tui, diligenter armatam, atq. instructam, primum ad caedem senatus, ac consulum, deinde ad occupandam Capi

tolij

tolij arcem munitiſsimam fueras immiſſurus: atq. his perfectis, daturus operam cum direptioni publicae, tum inflammandis aedibus, atq. ijs trucidandis, qui remp. defendere uoluiſſent. Videtis, iudices, lucem clariſsimam rationum: quam ego profecto cenſeo nullis inuolucris tenebrarum ſuarum obruturos eſſe, nec M. Laecã, praeclaram ſedem, atq. officinam tacterrimae coniurationis, nec ipſum deteſtabile caput, atq. obſcenum artificem Catilinam. Cumq. haec omnia conſtent; animaduertendnm eſt, pariter uno maleficij genere Catilinam non modo deos, ac patriam, uerum etiam mores, leges, conſuetudinem urbis, atq. inſtituta maiorum, uiolaſſe. Primum XII. tabulis cautum eſſe cognoſcimus, ne quis in urbe coetus nocturnos agitaret: deinde lege Gabinia promulgatum, qui coitiones ullas clandeſtinas in urbe conflauiſſet, more maiorum, capitali ſupplicio multaretur. de te itaque, Catilina, ſciſcitor, tun' coetus iſtos commilitonum tuorum contra praecepta XII. tabularum, contra leges noſtras, contra uero ſenatus, ac plebis, auctoritatem noctu cogendos eſſe putauiſti? deinde quaero, ſi quando in lucem ſepulcrales iſtae conciunculae tuae prodijſſent; quid reſpõſurus fuiſſes ſenatui? quid cõſulibus? aut quid uiris optimis, atq. amantiſsimis patriae? quid leges igitur noſtras uiolas, Catilina? quid ſenatus auctoritati contradicis? aequum enim eſt, inſtituta maiorum, atq. edicta grauiſ-

simi, sanctissimiq. ordinis, quia perstringere uaesania tua non es ueritus, ea restituas, ac sarcias supplicij tui memorabili animaduersione. Manlius Torquatus filium suum, summa & singulari uirtute adolescentem, quod is in hostem cõtra mandatum patrium dimicasset, uictorem acriter percuti securi iussit: nos uero te tam temerario ausu tendentem, contra mandata senatus, contra uniuersae Romanae reip. maiestatẽ, Catilina, perferemus? maiores olim nostri, sapientissimi homines, & sine dubio grauissimi, num leges e Graecia per legatos suos accersendas esse putauerunt, quib. hanc imperij magnitudinem perpetuo stabilirent, ut tu, homo recens, seueritate illarum cum barbatulis tuis abutereris? nõ ita uisum Carthaginiensibus, accepimus, in Hannone suo morti condemnando, fortissimo, ac triũphali uiro, quod is edicto senatus minus obtemperauisse putaretur. nõ ita placuit Athenienſibus, urbi sine dubio doctissimae, atq. eruditissimae, cũ e Sicilia, belloq. grauissimo reuocandum esse Alcibiadem statuerunt, summũ & singularem imperatorem, quem iuberent expiare supplicio suo leges uiolatae religionis. nõ ita deniq. a maiorib. nostris iudicatum est, cohortib. exoletorum tuorum sententia mea longe anteponendis, cum L. Sulpicium, consulari familia, summoq. ingenio uirum, propter exiguam notam libidinosae suspicionis censuerunt remouendum e senatu, multosq. dies in uin

culis

culis habendum esse putauerunt. Vos uero, iudi ces, Catilinam non modo leges nostras, atq. au-ctoritatem senatus, crudeliter labefactantem, uerum etiam uniuersos ciues ad perniciem ferro, flammaq. deuocantem, impune perferetis? Ia cet homo prostratus euentu maximarum molitionum, ut qui conatus suos conscientia uestra patefactos, atq. illustratos cernat, neq. contentos fuisse seu superstitione cruenti sacramenti, seu tenebris nocturnis, seu solitudine locorum maxima, & singulari. Contundite igitur, contun dite, iudices, genus istud inauditi furoris: comprimite hominẽ gestientẽ effrenata temeritate, flagrantem inusitatis cupiditatibus, furentẽ incredibili superbia, spe nouandarum rerum mirabiliter inflammatum. quin etiam rem ipsam publicam non modo euentu crudelissimae cala mitatis, uerum etiam metu, ac suspicione libera te. Diximus quidem sufficienter de senatoria si multate L. Catilinae, capite, ac fonte, sceleratae coniurationis: resq. omnes cõplexi sumus, quas aluisse furorem illum, ac primum excitauisse, iu dicauimus: nunc uidendum est de ratione ambi tionis taeterrima, atq. exitiabili, qua deflagrauis se perpetuo Catilinam, superiori diuisione demonstrauimus. Cupiditates equidem plurimas in illo monstro calamitosas, ac nefarias, omnes persaepe, iudices, animaduerti: libidinem unam pernicioſisſimã in primis conspicere uisus sum temerariae cuiusdam, atq. inconsideratae, am-

bitionis: qua duce properasse, nec ullo studio umquam conscisscendarum opum, nec ullo desiderio dignitatũ abstinuisse reputatus est. putabat enim se frustra nobilissimo genere natum, frustra uirtutes eximias corporis, atq. animi cõsecutum fuisse, ni omnia diuina, atq. humana, truculentissimo genere cupiditatis inquinauisset: quosq. cernebat excellere Romae praestantia quadã dignitatis, beatissimos eos esse, & sine dubio diis aequiparandos fore arbitrabatur. id genus uaesanae cogitationis hominem suapte natura praecipitem, atq. inconsideratum, compulit in abominandas, ac nefarias, uitae cupiditates. isq. nuper comitiis consularibus, quandoquidem suffragia curiae propter impendentem metum Parthici belli diligenter enucleata sunt, quas non adiit senatorum uoces? aut quos ciuiũ cõsessus partim pecunia, partim obseruationib. non obeundos suppliciter, ac contaminandos, esse iudicauit? nulli tamen ad dignitatem gradus neq. insanienti, neq. anhelanti bono candidato, patuerunt. Eadem ratio sceleratae libidinis illum ad maiorem uim scelerum paullo ante concitauerat. Pisonem meministis, egregia uirtute adolescentem, nisi & idem cupiditatib. obtemperare consueuisset, calamitosam sibi, ac multis in urbe seditionem excitauisse: cuius insigni familiaritate, atq. amicitia, Catilinam usum fuisse, nemo est qui nesciat: nec modo coniunxisse se temerario iuueni, uerum etiam

illum

illum,de ſucceſſu rerum ſuarum non mediocriter trepidantem, in audacia ſimul, ac ſententia, confirmaſſe,cum ſe illi uigilantisſimum ſocium ac ſatellitem fidelisſimum,regendae, gubernandaeq. coniurationis fore polliceretur . quod ſi uotis ſceleratorum hominum ſucceſſus adſpiraſſent ; quanta ſtrage ciuium creditis, aut quanto diluuio facultatum urbanarum ruituram fuiſſe deteſtabilem horum,atq.exſecrandam,impietatem? uerum ii caelites , quorum auſpiciis princeps,ac parens huius urbis Romulus pulcherrimi imperii Romani fundamenta iecit , triſtisſimam cladem , ac conatus perditos,nece adoleſcentis interceperunt. Piſone mortuo,conquieuiſſe Catilinam dicemus , aut incepti temerarii paenituiſſe?nō modo non paenituit, nec requieſcendū fuiſſe,arbitratus eſt;ſed rurſus alio furori acceſsit.non cōſueuerat animus,perpetuis cupiditatū flagitiis exercitatus, prima deſtitutione fortunae refrigeſcere,ac conſternari: ſed,uix ſepulta memoria Piſonianae coniurationis , L. Sidicinum adeptus eſt , potentisſimum quidem hominē, ac tunc furentem ſingulari ſtudio rerū nouandarum.uerum ea fax incendii rurſum benignitate deorum immortalium,ſummaq.uirtute conſulum,reſtincta eſt . non obdormiſcit tamen Catilina,his deſtitntus cuentis uigiliarum ſuarum : ſed rurſus ſaeuit immanior ; & quam remp. ſeruitio non potuerat obruere , deſtrangulandam penitus , ac tollendam , cogitauit ;

ſceleratus in omnem urbem, quã toties inſidiis appetiuiſſet; ſceleratisſimus uero in patriam, cuius exſtant in illum ſumma, & commemorãda, monumenta beneficiorum. Reminiſcere, quaeſo, Catilina, reminiſcere ferrum illud ſceleſtũ, atq. illas nefarias faces, quas iſtis ſanctisſimis penatibus, atq. iſti pulcherrimae patriae minitaris, non ad oppugnandam urbem, neq. ad eam concremandam tibi datas fuiſſe, ſed potius ad ſalutem ciuium, dignitatem imperii, libertatisq. noſtrae defenſionem. Per deos immortales, oro te, Catilina, ſi patria tecum his uocib. uteretur, quid eſſes illi, quaeſo, reſponſurus? Ego te paruulũ, Catilina, cum in primis ornatiſsimo genere gẽtis naſci uoluiſſem, deinde ſummis dotib. exornaſſem, tum corporis, tum animi; tum duab. reb. inſtituendum putaui, ferro, ac flãma; quib. eſſet parata tibi facultas tum amplificandi imperii mei, tum defendendae publicae libertatis. quid eam uim armorum in uiſcera noſtra torques? aut quid conuertis in exitium ciuiũ meorum inſtitutã diligentia mea, meisq. rationib. eruditam dimicandi facultatem? maiores cõtra tui ſummis a me beneficiis; atq. honorib. aucti, pro magnitudine ſuſceptarum dignitatum pulcherrimas in urbe ſaepenumero leges, pro praeſtantia beneficiorũ clariſsimas ex hoſtib. uictorias referre cõſueuerunt: tu mihi luctus acerbiſſimos paras pro ſumma copia beneficiorũ meorum, tu caedes ciuium, tu domorum incendia,

tu uexationes uirginum, tu uastitatem urbis, tu genus atrocissimae seruitutis. O crudelissimum hominum genus, & ab omni penitus humanitate derelictum. tu studio flagras eius urbis euertendae, quam nec Carthaginiensium astutissimi doli, nec Numantinorũ eximiae uires, nec Graecorum erudita, & praeclara ingenia labefactare, obscurareq. potuerunt? quid si citentur hi populi rursum diuinitus, atq. istae urbes redeant in statum uetustissimae dignitatis: certe non ipso scelere tuo quidquam in me crudelius, nec quidquã magis extimescendũ molituras fuisse praedicabunt. Sed ad te redeo. Temperarẽ ego memet mihi, cursumq. istũ uiolentae orationis forsitan reuocandũ esse iudicarem tum ab odio tuo, tũ ab ipsa dicendi acerbitate, si quem in te sensum patriae caritatis adspicerẽ, aut ullo te pacto posse arbitrarer sceleratã istam mentem relinquere: sed id genus est cupiditatũ tuarum, ut restinguendarum forsan rationem aliquam consequi possis, sanandarum nullam. nec te prius amissurum peruersitatẽ istã animi puto, quam uitam amiseris. Vellem reuiuisceres, Ahala Seruili: non exspectaremus sententiam iudicũ: neq. abuteremur maiestate senatus, atq. auctoritate populi R. sed magnitudinem tanti flagitii sanguine tuo statim expiauisses. nam de senatus uoluntate nihil ambiginus. modo non impediretur legibus, repente profecto fucras poenas impietatis tuae dignissimas laturus. Vti-

nam

nam deor. immortalium munere, iudices, mentem, atq. animum, huius introspiceremus: ne qua uobis fieret puniendi dubitatio, qui tantum scelerum ingenio conflauisset. uideretis enim mentem anhelantem tristissimũ genus minarum, mentem debacchãtem inaudita feritate, furentem incredibili uaesania, sitientem cruoris urbani, praedae auidissimam, uobis, atq. omnib. ferro flammaq. minitantem. Catilinam uobis demonstrauimus, iudices, irritatum persaepe repulsis comitialib. nullas uocum, aut suffragiorum, corruptellas fuisse praetergressum; deinde nullis rationib. infractum, ac perterritum, de perseuerantia scelerum suorum destitisse: quib. animaduertere sane potestis, quanta semper immanitate laborauerit ambitionis. supersit nouissima pars diuisionis, grex ipse sodalium Catilinae truculentus, atq. amens: cuius in manu non exiguam rationem fuisse diximus excitandae coniurationis. Lentulus siquidem, & Cethegus, terribilia portenta nostrae ciuitatis, furiaeq. uel certissimae populi R. multa de magnitudine sua in ipsis concionibus, multa de dignitate imperii sui futuri palam praedicare consueuerunt, tamquã si deorum immortalium cõcilio interfuissent. primum Lentulus in libris Sibyllinis nescio quid perspexisse se praedicabat, quod uiri acutissimi, atq. peritissimi, L. Cornelius, ac Cn. Piso, custodes publicarum caerimoniarum, nequaquam prospicere potuerunt. lucem

nam-

namque,ait,neſcio quā de domo Cornelia quon dam proditurā fore, quae gloria nominis ſui Romanum imperium ſimul & complexura ſit, & illuſtratura:coq.genere uaticinii dignitatem ſuam portendi fataliter putauit: planeq. opinatur fati ſui rationem in ipſā latebra Sibyllinae dī uinationis, tamquam in equo Troiano, delitescere.ego uero Sibyllā ſine dubio ſapientisſimā mulierem fuiſſe iudico, uiſamq. idoneam diis immortalibus,cui ſingularē quandam uim diui nandi concederent:uerum illam deliram penitus,ac prorſus caecā fuiſſe affirmarē,ſi quam ſpē dignitatis in hac crudelisſima peſte repoſuiſſet. ſi quid tamen ceciniſſe uiſa eſt,quod ad Corneliam gentem pertinere uideretur: uim omnem illius diuinationis in uno L. Sylla conſumptam fuiſſe iudicemus,cuius paullo ante reſp.ſenſit & crudelisſimam ſimul,&amplisſimā poteſtatem. nec ego deos immortales huic imperio tam infeſtos eſſe reor, neq. a ſalute populi Romani tā abhorrentes, ut homini dementisſimo regnum concederent huius ſanctisſimae, atq. optimae, ciuitatis. Syllam profecto crudelitas uicit: at ipſe maximar. laudem uirtutum, & rei militaris ſummam,ac ſingularem, gloriam cōſecutus eſt. Lentulum uero nullae uictoriae noſtrae ciuitati,nullum ſtudium armorum,nulla praeſtantia uirtutis, aut ingenii, commendauit. quae uero nō tabernae potius, aut qui non greges in famium hominumS,ibyllinum iſtum principē

con-

concelebrarunt? nam uitam eius commemorare non est necesse, uersatam semper in obeundis libidinibus, ac societate turpissimorum hominum nobilitatã, nihil in eo sanguinis auiti, nihil industriae Romanae, nihil splendoris domestici, nihil auitae frugalitatis. fingite uobis, iudices, fingite dignitatẽ huius hominis tum florentem amplissimo magistratu, tum omnib. populi Romani munerib. exornatam. quantum, quaeso, sanguinis ciuilis in foro, in curia, redundaturum esse creditis? aut quantam uim libidinis, atq. impudicitiae, per omnium ciuium cubicula demanaturam? profecto dignitate fretus, ea, quae priuatus concupiuisset, sine dubio consequeretur: ferretur amens in omnia: nec ullae rationes consiliorũ, aut pudoris, nec ulla studia humanitatis refrenarent praecipitẽ, atq. inusitatũ cursum uetustae crudelitatis. Cethegus, inferior nobilitate, atq. ingenio, uehementia furoris longe immanior, parũ a Lentuli somnio discedere uisus est: uerum insaniam leuissimae opinionis modestiore loquendi ratione contegere uelle uidetur. genus est idẽ tamen furoris, eademq. ratio cõcelebratae diuinationis. tales hi scelerum artifices, amboq. concitati ad euertendam remp. partim a uaesana spe uaticinii commemorati, partim a nefaria scelerum assiduitate, Catilinam offenderunt, nouis rebus studentem: cuius praesidio, consilioq. cupiditates suas ita iuuari posse facillime crediderunt,

si

si uiro sociorum copiosissimo sese cõiunxissent. est enim in illo monstro, sicuti paullo ante tetigimus,uis eximiá facetiarum,& ratio quaedam adumbrata uirtutum , facilis ad comprehendendum omnium hominum familiaritates . Hunc igitur Catilinam adepti Cethegus,ac Lentulus, & ipsi lenocinijs suis insignes , ad omne genus beneuolentiae subeundum deflagrare coeperunt admirabili quadam cupiditate seu diripiendae urbis,seu potiũdae dominationis.Hae sunt, iudices,huius nefarij facinoris abominandae faces:hi sunt crudeles igniculi, quib.exarsisse Catilinae ferocem animum, facillime credendum est.talib. initijs consociati principes nefandae coniurationis, manum exiguam desperatorum hominum,atq.obscenae iuuentutis,pedetentim coegerunt ; coactam,quid uellent, edocuerunt; edoctam,pari cupiditate sceleris inflãmauerunt; inflammatam deniq. pepulerunt,ut in omnium nostrum facultates, ac uitam,facillime conspirarent . Furias istas audistis,iudices,commodissimas,ac paratas non modo ad uiuos commouendos in omne facinus , uerum etiam ad mortuos ex ipso erebo,medijsq. bustis,excitandos . reperti sunt tamen atrocissimi sceleris patroni,quiq. immanitatem detestandae rei tum contegere uerbis,tum excusare,conati sunt.L.Hortensius, uir eximia caritate reip. summisq. ornamentis praeditus & scientiae , & moderationis, nequaquam omnia credenda esse dicit : iubetq.

gra

grauiſsimis hominib. facilitatem iudiciorum di ligenter eſſe continendam. primum affirmat Catilinam in perpetua cuſtodia ſenatus exſtitiſſe; deniq. numquam ferme diſceſsiſſe a latere P. Caepionis, nobiliſsimi ciuis, atq. integerrimi uiri; ita ut lepide dicat, diſſeparationi eorum neq. ſolem orientem umquam, neq. occidentem, interueniſſe. Credo equidem, ſapientiſsimum hominem Hortenſium, ut eſt innocentia ſingulari, ſummaq. uirtute, cuncta ipſa, quae grauiſsime ſimul, atq. ornatiſsime, complexus eſt, ita uera eſſe, ſicuti dixerit, exiſtimare. ſed longe graditur a ſententia mea. Quaero igitur de te, L. Hortenſi, teq. obteſtor, atq. obſecro, per ipſum ius uetuſtiſsimae noſtrae familiaritatis: ſi L. Catilinam conſtat dies omnes omnium ciuium conſcientia, ſiue in foro, ſiue in turmis agere, nunc ſtipatum cateruis exoletorum ſuorum, nunc uero gladiatorijs agminib. per ora uulgi palam obuolitare: ſi manifeſtum eſt, noctes omnes aut in luſtris ſcortorum, aut in antris M. Laecae ducere, uiri, tuo iudicio, nō abhorrentis a reip. caritate: quid eſt, quod illum obuerſatum dicas in perpetua cuſtodia, atq. oculis, ſenatorum? niſi forte cuſtodiam ſenatoriam uocas uel exiguam moram ipſius curiae cōſilijs obeundis. Quod uero pertinet ad ipſius Caepionis familiatitatem aſsiduā, beneuolentiamq. ſingularem: nihil eſt, quod inſimulationi noſtrae derogandum eſſe iudicetis. diximus enim ſuperius, ingenij Catilinae

miros,

miros, atq. occultiſsimos, eſſe receſſus, nec qui cognoſci, ſeu perluſtrari, facillime poſſent. uigēt enim in illa clade res diuerſiſsimae pariter, continentia, & libido. nihil illo perſpexi affixius ad colenda bonorum conſortia; nihil ſollertius ad illis inſidiandum: nihil illius munificentia inſignius; nihil auidius rapacitate: nihil acutius consilio; nihil temeritate contemptibilius. Quae cū ita ſint; Caepionem admirabimur in tantis uiarum ambagib. errauiſſe? me, me, inquam, fateor, iudices, uetuſtiſsima quadam familiaritate Catilinae cōiunctum, perſaepe delirauiſſe, miris perplexionib. illius, neq. umquam certi quidquam in illo ingenio comprehendere potuiſſe. nihil igitur erit miri, ſi uirum integerrimum Caepionem uerſutiſsimi hominis doli, atq. inconſtantiſsimi mores, fefellerunt. Non erit itaq. neq. prudentiae tuae, neq. grauitatis, Hortenſi, candidiſsimam opem humanitatis tuae, ſummāq. dicendi copiam fontib. ipſis polliceri, aut, quam beſtiam irretitam iudicio tenemus, diſſolutam, atq. exſultantem, reip. immittere. quod te numquam commiſſurum fuiſſe arbitrarer, niſi qui me mores, ijdem te Catilinae ſine dubio fefellerunt. Satis oſtentatas uobis putamus, iudices, tum rationes periculi noſtri, tum huius immaniſsimi ſceleris atrocitatem. nam, ſi odio ſenatus maximo Catilinam arſiſſe demonſtrauimus: ſi rationes uitae ſuae ueteres, ac nouas, in exercitatione tetterrimarū libidinum colloca

tas;si spem perficiendi sceleris homini prosequē tissimo inimicitiarum;si deniq.locorum,ac temporis,opportunitates exstitisse:praeterea si rabiē quandam ambitionis in illo fuisse diximus: si nullam potestatem referendarū libidinum, aut ullum paenitentiae locum: postremo si copiam innumerabilem desperatae iuuentutis cum illo coniunctam fuisse patefecimus;& eam simul ostendimus suopte ingenio furentem incredibili audacia, summaq. cupiditate,prodendae, ac uexandae,urbis inflammatam: quid erit, iudices, quod dubitetis de liberanda patria,deq.ulciscēda crudelissimi sceleris immanitate? nouistis enim facinus inauditum omnium hominum memoria, facinus atrox, superbum,nefarium, pernicioſum,remotissimum ab omni humanitate, lege,consuetudine: cuius acerbitatem si minus animo bene perspexistis, quaeso,mecum diligēter attendite. Scelus illud, iudices,euersionem nefariā moliebatur amplissimae nostrae dignitatis, interitum crudelissimū senatorij ordinis, caedem communem omnium bonorum. huius sceleris libido reposita erat in diripiēdis omniū ciuium facultatibus,atq.opprimenda urbis libertate:huic sceleri parabantur taeterrimae coniugum,ac liberorum nostrorū uexationes: in hoc scelere uersabantur deniq. faces inferendae penatib. nostris, expilationes aedium,stupra uirginum Vestalium, luctus, ac maeror miserabilis uniuersae ciuitatis. Quae si uobis, ut sunt

indi-

indigna,atq.intolerabilia,uidentur:non iniquũ erit auctores horum malorum multare taeterrimis ſupplicijs,clademq. omnium crudelisſimã e uiſcerib.reip.propulſare.Tenetis exempla maiorum,atq.omnium gentium auctoritatem,quĩ ſemper ſummas,ac ſingulares,poenas in eo genere hominũ conſumendas eſſe putauerunt,qui rationes habuiſſent aut prodendae patriae, aut opprimendae publicae libertatis.nihil igitur erit impedimẽto,quin audaciam crudelisſimi hominis Catilinae crudelisſimo genere ſupplicio rum expietis;ut ultionem ex illorum cruciatib. ac poenis capiat reſp. quorum erat cõflagratura manibus,niſi ſanctisſimi imperij R.cuſtodes,ac uindices dij immortales nefarijs uotis obſtiſtiſſent.Credite,iudices,hodierno die cõſurrexiſſe uniuerſam urbem,conſpecturam ex iudicio ueſtro,planeq.animaduerſuram,quidin poſterum de ſalute ſua,deq.facultatib.ſuis, ſperandum ſit. credite item,uim uniuerſam flagitioſaciuuentutis aut hodierno Catilinae ſupplicio ſimul confi ciendam fore,aut illius liberatione laetã,atq.exſultantẽ non multo poſt in omnium noſtrũ perniciem una cũ illo celerrime conſurecturã.agitur ſiquidẽ hodierna ueſtra ſentẽtia de ſalute huius pulcherrimae atq.optimae ciuitatis,de ſtabilitate imperij Romani,de legũ incolumitate,de libertate ciuiũ,de pudicitia liberorum ac coniugum ueſtrarũ.huius enim peſtis idẽ ſcelus,erat, ut non graſſaturũ per capita paucorum,ſed tam

quam atrocisſima uis ueneni, per omne corpus urbis demanaturũ. quod ſcelus, aut quã peſtemſi uindicandum eſſe cenſebitis, ut reor, et reſp. deſiderat; putate profecto deos immortales, et in primis Capitolinum Iouem, ſempiternum cuſtodem, ac uindicem huius imperij, pro liberatis eorum templis, ac caerimonijs, gratias nobis amplisſimas eſſe reddituros: putate pariter idẽ facturam eſſe curiam, pro defenſa cõſulum uita, ſeruataq. ſenatorij ordinis dignitate: putate matronas urbis, ac liberos noſtros, ob ſeruatam pudicitiam, ſupplices, ac cõgratulantes uniuerſos ad genua ueſtra ſeſe obuerſaturos fore: putate uirgines Veſtales, atq. ipſam maieſtatem ampliſſimi numinis, ob liberationem ſuam, ſumma uobis laetitia cõgratulaturam: putate deniq. ciues omnes, ob retentam uitam, ac libertatem ſuam, penates publicos, pro conſeruatis foçis, atq. aris, parietes urbis, pro taeterrimo genere uaſtitatis propulſatos, ferme incredibili gaudio exſultaturos: putate tandem, hodierno iudicio paratum eſſe uobis aut immortale dedecus, aut memoriã nominis ſempiternam. multa ſunt equidem in hac uita, quae turpiter, ac calamitoſe neglecta reſtitutionem tamen quandã quodam modo patiantur: huius uero uindicãdi ſceleris ſi praeſentẽ facultatem neglexeritis, fruſtra poſtea recuperandae copiã quaeretis. aut hodie uobis propulſanda eſt e uiſcerib. reip. peſtifera uis calamitatis: aut ipſi patriae ſine dubio concidendum.

utrum

utrum eligẽdum sit,uos uideritis. Quid?estis iudiceshumanitate tanta,ne secordia dicam,ut eorum uitam,ac spiritum diutius in rep. commorari patiamini,qui uitae,salutiq. ciuium crudeliter insidiati sunt?proponite uobis antè oculos, ac meditatione crebra reuoluite diem illum nefarium,quo salus omnium ciuiũ, quo facultates nostrae,quo ipsa resp.peritura fuerat:quando scilicet adspeximus bestias istas, emissas carcerib. per urbem omnem,per domos nostrasfurialiter exsultantes,ipsũq.in primismiserandi facinoris ducem,ac principem Catilinam, confirmatum hoc iudicio,spe plenũ,laetitia gestientem, nunc hos ad caedem nostram,nunc illos ad rapinam, atq.inflammationem aediũ,deuocantem:coniuges e complexib.nostris ad libidinem uictorum raptae fuissent: liberi ad stupra de gremijs parẽtum extorti,pretiosa supellex asportata:tecta cõflagrassent ignibus:corpora caesa passim iacuissent:omnia deniq.gemitu,fletuq.redundassent. haec fuisset imago miserrimae urbis;quã urbẽ a maiorib.nostris florẽtissimam accepimus, et, si prohibueritis,clarã atq.excellẽtem posteris nostris traditurí sumus. Per humanitatem deniq. uestram uos obtestor, atq. obsecro iudices, per amorem huius pulcherrimae,atq.inuictissimae urbis,per omnia,quae uobis iucũdissima sũt in uita, prouidete iterũ atq. iterũ,ne liberati quondã tot amplissimis bellorũ periculis, tot imminentib.malis erepti,nunc per ignauiã uestrã, ac

desidiam periclitemur. eripite uitã ciuium a mi seranda crudelitate:prohibete penates uestros a nefarijs ignibus:seruate pudicitiam necesitudi num uestrarũ a taeterrimis uexationibus:libera te tẽpla deorum a tristib.rapinis:subtrahite fortunas publicas ab indigna direptione:protegite magistratus uestros ab inaudita feritate: defendite deniq.uniuersam urbem ab hoc inusitato prorsus,& tristissimo genere calamitatis.

De sequenti oratione sic Quinctilianus lib. IV. cap. I.

Quid? non Sallustius directo ad Ciceronem,in quem dicebat, usus est principio,& quidem protinus: Grauiter, et iniquo animo,maledicta tua paterer, M. Tulli. &c.

C. SALLVSTII. CRISPI IN. M. TVLLIVM CICERONEM ORATIO.

GRAVITER, & iniquo animo,maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem iudicio magis,quam morbo animi,petulantia ista uti.sed,quoniam in te neq.modum,neq. modestiam ullam animaduerto : respondebo tibi: ut, si quam maledicendo uoluptatem cepisti, eam male audiendo amittas. Vbi querar? quos implorem,P.C.diripi remp. atq.audacissimo cuiq.esse perfidiae?an apud populum R.qui

ita

ita largitionib.corruptus est,ut sese, ac fortunas suas,uenales habeat? an apud uos,P. C.quorum auctoritas turpissimo cuique,& sceleratissimo, ludibrio est?ubi M.Tullius leges,iudicia populi R. defendit, atq. in hoc ordine ita moderatur', quasi unus reliquus ex familia uiri clarissimi, Scipionis Africani, ac non repticius,accitus, ac paullo ante insitus huic urbi ciuis. An uero, M. Tulli,facta,ac dicta,tua obscura suut? an non ita a pueritia uixisti, ut nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? scilicet, istam immoderatam eloquentiam apud M.Pisonem nõ pudicitiae iactura perdidicisti?itaq. minime mirandum est, si eam flagitiose uenditas, quam turpissime parasti. Verum, ut opinor,splẽdor domesticus tibi animos attollit,uxor sacrilega,ac periurijs delibuta, filia matris pellex, tibi iucundior,atq. obsequentior, quam parenti par est.domum ipsam tuam ui, & rapinis, funestam tibi ac tuis,comparasti,uidelicet ut nos commonefacias, quam conuersa sit resp. cum in ea domo habitas,homo flagitiosissime,quae P.Crassi, uiri consularis,fuit.Atq.haec cum ita sint;tamen Cicero se dicit in consilio deorum immortalium fuisse;inde missum huic urbi,ciuibusq. custodem,absq.carnificis nomine,qui ciuitatis incommodum in gloriam suam ponit: quasi uero non illius coniurationis caussa fuerit consulatus tuus,& iccirco resp. disiecta eo tempore, quo te custodem habebat.Sed, ut opinor,illa te magis

extollunt, quae post consulatum cum Terentia uxore de rep. consuluisti: cum legis Planciae iudicia domi faciebatis: ex coniuratis alios morte, alios pecunia condemnabas: cũ tibi alius Tusculanum, alius Pompeianam uillam aedificabat, alius domum emebat: qui uero nihil poterat, is erat calumniae proximus, is aut domum tuam oppugnatum uenerat, aut insidias senatui fecerat, deniq. de eo tibi compertum erat. Quae si tibi falsa obijcio; redde rationem, quantum patrimonij acceperis, quid tibi litib. accreuerit, qua ex pecunia domum paraueris, Tusculanum, & Pompeianum infinito sumptu aedificaueris. aut, si retices; cui dubium potest esse, quin opulentiam istam ex sanguine, & uiscerib. ciuium paraueris? Verum, ut opinor, homo nouus Arpinas, ex C. Marij familia, eius uirtutem imitatur; contemnit simultatem hominum nobilium; populi R. curam habet; neq. terrore, neq. gratia, commouetur. Illud uero amicitiae tantum, ac uirtutis est animi? immo uero homo leuissimus, supplex inimicis, amicis contumelioſus, modo harum, modo illarum partium, fidus nemini, leuissimus senator, mercenarius patronus, cuius nulla pars corporis a turpitudine uacat: lingua uana, manus rapacissimae, gula immensa, pedes fugaces; quae honeste nominari non possunt, inhonestissima. Atq. is, cum eiusmodi sit, tamen audet dicere: O fortunatam natam me consule Romam. Te consule fortunatam, Cicero? immo uero infelicem,

& miseram, quae crudelissimam proscriptionem ciuium perpessa est; cum tu, perturbata rep. metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuae cogebas; cum omnia iudicia, omnes leges, in tua libidine erant; cũ tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, omnium nostrum uitae, ne cisq. potestatem ad te unum reuocaueras. Atq. parum est, quod impune fecisti; uerum etiam comm emorando exprobras, neq. licet obliuisci seruitutis suae. Egeris, oro te Cicero, perfeceris quod libet: satis est perpessos esse: etiamne aures nostras odio tuo onerabis? etiamne molestissimis uerbis infectabere? Cedant arma togae, concedat laurea linguae. Quasi uero togatus, & non armatus, ea, quae gloriaris, confeceris, atq. inter te, Syllamq. dictatorem, praeter nomen imperij, quidquam interfuerit. Sed, quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerua omnes artes edocuit, Iuppiter optimus maximus in cõsilio deorum admisit, Italia exsulẽ humeris suis reportauit. Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua uirtute omnes Paullos, Fabios, Scipiones, superasti, quem tandem locum in hac ciuitate obtines? quae tibi partes reip. placent? quem amicum, quem inimicum, habes? cui in ciuitate fecisti insidias, ancillaris. quo iure, cum de exsilio tuo Dyrrhachio redisti, eum sequeris? quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiae faues? qui tibi ante optimates uidebantur, eosdem nunc dementes, ac furiosos, uocas?

Vatinij cauſſam agis: de Sextio male exiſtimas: Bibulum petulantiſsimis uerbis laedis: laudas Caeſarem: quem maxime odiſti, ei maxime obſequeris: aliud ſtans, aliud ſedens, de rep. ſentis: his maledicis, illos odiſti: leuiſsime transfuga, neq. in hac, neq. in illa parte fidem habes.

IN. SALLVSTIVM. ORATIO QVAE. CICERONI. FALSO TRIBVITVR

EA DEMVM magna uoluptas eſt, Criſpe Salluſti, aequalem, ac parem uerbis uitam agere, neq. quidquam tam obſcenum dicere, cui non ab initio pueritiae omni genere facinoris aetas tua reſpondeat, ut omnis oratio morib. conſonet. neq. enim, qui ita uiuit, ut tu, aliter, ac tu, loqui poteſt: neq. qui tam illoto ſermone utitur, uita honeſtior eſt. Quo me uertam, P. C.? unde initium ſumã? maius enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior eſt uterq. noſtrum. quod ſi aut de mea uita, atq. actib. noſtris, huic conuiciatori reſpondero; inuidia gloriam conſequetur: aut, ſi huius facta, mores, omnem aetatem, nudauero; in idem uitium incidã procacitatis quod huic obiicio. id uos, ſi forte offendimini, iuſtius huic, quam mihi, ſuccenſere debetis, qui initium introduxit. ego dabo operã, ut & pro me minimo cum faſtidio reſpondeã, & in hunc minime mẽ

titus

titus esse uidear. Scio me,P.C.in respondendo non habere magnam exspectationem;quod nullum uos sciatis nouum crimen in Sallustium audituros,sed omnia uetera recognituros,quas & meae,& uestrae iam,& ipsius,aures calent. uerū eo magis odisse debetis hominem, qui ne incipiens quidem peccare minimis reb. posuit rudimentum,sed ita ingressus est,ut neq. ab alio uinci possit,neq.ipse se omnino reliqua aetate praeterire.itaq. nihil aliud studet, nisi, ut lutulentus sus,cum quouis uolutari. longe uero fallitur opinione.non enim procacitate linguae uitae sordes eluuntur: sed est quaedam calumnia, quam unusquisq. nostrum testante animo suo fert, de eo,qui falsum crimen bonis obiectat. quod si uita istius memoriam uicerit; aliam, P. C.non ex oratione eius, sed ex morib.spectare debetis. iā dabo operam,quam maxime potero,ut breue id faciam.neq. haec altercatio nostra uobis inutilis erit,P.C.plerumq. enim resp.priuatis crescit inimicitijs;ubi nemo ciuis,qualis sit uir, potest latere.Primū igitur,quoniam omnium maiores CrispusSallustius ad unum exemplum,& regulā quaerit,uelim mihi respōdeat,numquid ij,quos protulit, Scipiones, & Metelli,ante fuerint aut opinionis,aut gloriae,quam eos res gestae suae, &uita innocentissime acta,cōmendauit?quod si hoc fuit illis initium nominis,& dignitatis; cur non aeque de nobis existimetur ? cuius & res gestae illustres sunt, & uita integerrime acta.

quasi

quasi uero tu sis ab illis uiris, Sallusti, ortus: quod si esses; nonnullos iam tuae turpitudinis pigeret. ego meis maiorib. uirtute mea praeluxi: ut, si prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriae suae. tu tuis uita, quã turpiter egisti, magnas offudisti tenebras: ut, etiam si fuerint egregij ciues, certe uenerint in obliuionem. quare noli mihi antiquos uiros obiectare. satius est enim, me meis reb. gestis florere, quam maiorũ opinione niti; & ita uiuere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initium, & uirtutis exemplum. Neq. me cum ijs conferri decet, P. C. qui iam decesserunt, omniq. odio carent, & inuidia, sed cũ ijs, qui mecum una in rep. uersati sunt. Sed, si fuerim aut in honorib. petendis nimis ambitiosus; (non hanc dico populare ambitionem, cuius me principem confiteor, sed illam perniciosam contra leges, cuius primos ordines Sallustius duxit) aut in gerendis magistratibus, aut in iudicandis maleficijs tam seuerus; aut in tuenda rep. tam uigilans; quam tu proscriptionem uocas: credo quod non omnes tui similes incolumes in hac urbe uixissent. at quanto meliore loco resp. tuenda staret, si tu, par ac similis sceleste rum ciuium, una cum illis adnumeratus esses? An ego tũc falso scripsi, Cedant arma togae; qui togatus armatos, & pace bellum oppressi? An illud mentitus sum, Fortunatam me consule Romam; qui tantum intestinum bellum, & domesticũ urbis incẽdium, exstinxi? Neq. te tui piget homo leuissi

me,

me,cum ea culpas,quae in hiſtorijs mihi gloriae ducis?An turpius eſt,P. C. ſcribentem mentiri, quam illum palam hoc ordine dicentem?Nam, quod meam aetatem increpuiſti: tantum me abeſſe puto ab impudicitia,quantum tu abes a pudicitia.Sed,quid ego de te plura querar?Quid enim mẽtiri turpe duces; qui mihi auſus ſis eloquentiam ut uitium obijcere? cuius ſemper nocens eguiſti patrocinio. an ullum exiſtimas poſſe fieri ciuem egregiũ,qui non his artib. & diſciplinis,ſit eruditus?an ulla alia putas eſſe rudimẽta,& incunabula uirtutis,quib. animi ad gloriae cupiditatem aluntur?Sed minime mirũ eſt,P.C. ſi homo,qui deſidiae,ac luxuriae,plenus ſit,haec ut noua,atq. inuſitata,miratur. Nã,quod iſta inuſitata rabie petulanter in uxorem, & in filiam meam inuaſiſti,quae facilius mulieres ſe a uiris abſtinuerunt,quam tu uir a uiris: ſatis docte, ac perite, feciſti:nõ enim me ſperaſti mutuam tibi gratiam relaturum, & uiciſsim tuas compellatũrum. unus enim ſatis es materiae habens: nec quidquam turpius eſt domi tuae,quam tu. Multum te uero opinio fallit,qui mihi putaſti parare inuidiam ex mea re familiari;quae multo mihi minor eſt,quam habere dignus ſim. atq. utinam ne tanta quidẽ eſſet,quanta eſt;ut potius amici mei uiuerent, quam ego teſtamentis corũ locupletior eſſem. Ego fugax,Criſpe Salluſti?furori tribuni pl. ceſsi: utilius duxi, quamuis fortunam unus experiri,quam uniuerſo populo

R. ci-

R. ciuilis essem dissensionis caussa: qui, postea quã ille suum annum in rep. perbacchatus est; omniaq. quae commouerat, pace, & otio, resederunt; hoc ordine reuocante, atq. ipsa rep. manu retrahente me, reuerti. qui mihi dies, si cum omni reliqua uita cõferatur, animo quidem meo superet, cum uniuersi uos, populusq. R. frequens aduentu meo gratulatus est. tanti me fugacem, mercenarium patronum hi aestimauerunt. Neq. hercule mirum est, si ego semper iustas omniũ amicitias aestimaui. non enim uni priuatim ancillatus sum, neq. me addixi: sed, quantum quisq. reip. studuit, tantum mihi fuit aut amicus, aut inimicus. ego nihil plus uolui ualere, quam pacẽ: multi priuatorum audacias nutriuerunt. ego nihil timui, nisi leges: multi arma sua timeri uoluerunt. ego numquam uolui quidquam posse, nisi pro uobis: multi ex uobis, potentia freti, in uos suis uirib. abusi sunt. itaq. non est mirum, si nullius amicitia usus sum, qui non perpetuo reip. amicus fuit: neq. me paenitet, si aut petenti Vatinio reo patrocinium pollicitus sum, aut Sextij insolentiam repressi, aut Bibuli patientiam culpaui, aut uirtutib. Caesaris faui. hae laudes enim egregij ciuis, & unicae, sunt. quae si tu mihi ut uitia obijcis, temeritas tua reprehendetur, non mea uitia culpabuntur. Plura dicerem, si apud alios mihi esset dicendum, P.C. nõ apud uos, quos habui omnium actionum mearum monitores. sed, ubi rerũ testimonia adsunt, quid

opus

quid opus est uerbis? Nunc, ad te ut reuertar, Sal lusti, patremq. tuum praeteream: qui si numquã in uita sua peccauit, tamen maiorem iniuriam reip. facere non potuit, quam quod te talem filium genuit. neque, tu si qua in pueritia peccasti, exsequar, ne parentem tuũ uidear accusare, qui eo tempore summam tui potestatem habuit; sed qualem adolescentiam egeris. hac enim demonstrata, facile intelliget ur, quam petulanti pueritia tam impudicus, & procax, adoleueris. Postea quam immensae gulae impudicissimi corporis quaestus sufficere nõ potuit; et aetas tua iam ad ea patienda, quae alteri facere collibuisset, exoleuerat: cupiditatib. infinitis afferebaris, ut, quae ipse corpori tuo turpia nõ duxisses, in alijs experireris. ita nõ est facile reputare, P. C. utrum inhonestiorib. corporis partib. rem quaesierit, an amiserit. Domum paternam uiuo patre turpissime uenalem habuit, uendidit. & cui dubium potest esse, quin mori coegerit eum, quo hic nondum mortuo pro herede gesserit omnia? Neq. pudet a me eũ quaerere, quis in P. Crassi domo habitet; cum ipse respondere non queat, quis in ipsius habitet paterna domo. At hercule lapsus aetatis tirocinio, postea se correxit. nõ ita est: sed abijt in solatium sacrilegij Nigidiani: bis iudicis ad subsellia attractus, extrema fortuna stetit: & ita discessit, ut nõ hic innocens esse, sed iudices peieraſſe existimarentur. Primũ honorẽ in quaestura adeptus, hunc locũ, & ordinem, despectum red-

reddidit,cuius aditus ſibi quoque, ſordidiſſimo homini,patuiſſet.itaq. timens, ne facinora eius cla uos eſſent,cum omnib.matrib.familias opprobrio eſſet,confeſſus eſt, uobis audientibus, adulterium;neq.erubuit ora ueſtra. Vixeris,ut libet,Salluſti:egeris,quae uolueris:ſatis ſit,unum te tuorum ſcelerum conſcium eſſe:noli nobis lãguorem,et ſoporẽ nimium exprobrare. ſumus diligentes in tuenda pudicitia uxorum noſtrarum:ſed ita experrecti non ſumus,ut a te cauere poſſimus.audacia tua uincit ſtudia noſtra. Ecquod hunc mouere poſſit, P.C.factum ac dictũ turpe,quem non puduit palam,uobis audientibus,adulterium confiteri? Quod ſi nihil pro me tibi reſpondere uoluiſſem;ſed illud cenſorium elogium Ap.Claudij,et L.Piſonis,integerrimorum uirorum,quo uſus eſt quiſq.eorum, pro lege palam uniuerſis recitarem:nonne tibi uiderer aeternas inurere maculas, quas reliqua uita tua eluere non poſſit? neq. poſt illum delectum ſenatus,te umquã uidimus.niſi forte in ea te caſtra cõieciſti,quo omnis ſentina reip. confluxerat.At idẽ Salluſtius,qui in pace ne ſenator quidem manſerat,poſtea quam reſp.armis oppreſſa eſt,et idẽ uictores,qui exſules,reduxit,in ſenatũ poſt quaeſturam reductus eſt.quem honorẽ ita geſſit,ut nihil non uenale in eo habuerit, cuius aliquis emptor fuerit.Ita igitur egit,ut nihil nõ aequum,ac uerum,duxerit,quod ipſi facere collibuiſſet: neq. aliter uexauit, ac debuit, ſi quis

prae-

praedae loco accepiſſet magiſtratũ. Peracta quae ſtura, poſtea quam magna pignora eis dederat, cum quib. ſimilitudine uitae ſe cõiunxerat, unus iam ex illo grege uidebatur. eius enim partis exemplar erat Salluſtius, quo tamquam in imam uoraginem coetus omnium uitiorum exceſſerat: quidquid impudicorum cylonum, parricidarum, ſacrilegorum, debitorum fuit in urbe, municipijs, colonijs, Italia tota, ſicut in fretis, ſubſederant, nominis perditi, ac notisſimi, nulla in parte caſtris apti, niſi licentia uitiorũ, et cupiditate rerum nouarum. At poſtea quam praetor factus eſt, modeſte ſe geſſit, et abſtinenter. nonne ita prouinciam uaſtauit, ut nihil neq. paſſi ſint, neq. exſpectarint grauius ſocij noſtri in bello, quam experti ſunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente? unde tantum hic exhauſit, quantum potuit aut fide nominum transijci, aut in naues contrudi. tantum, inquam, P. C. exhauſit, quãtum uoluit: ne cauſſam diceret, ſeſtertio duodecies cum Caeſare paciſcitur. Quod ſi quippiam eorum falſum eſt; hic palam refelle; unde tu, qui modo ne paternam quidẽ domum redimere potueris, repente tamquã ſomnio beatus, hortos pretioſisſimos, uillã Tiburti C. Caeſaris, reliquas poſſeſſiones paraueris. Neq. piguit quaerere, cur ego P. Craſſi domũ emiſſem: cũ tu ueteris uillae dominus ſis, cuius paullo ante fuerat Caeſar? modo, inquã, patrimonio non comeſo, ſed deuorato, quib. rationib. repente factus es tã

affluens,

affluens,et tam beatus?Nam,quis te faceret heredem,quem ne amicum quidem ſuum ſatis honeſtum quiſquam ſibi ducit, niſi ſimilis, ac par tui?At hercule egregia facta maiorum tuorum te extollunt: quorum ſiue tu ſimilis es, ſiue illi tui,nihil ad ominum ſcelus, ac nequitiam,addi poteſt.Verum,ut opinor,honores tui te faciunt inſolentem.Tu,Criſpe Salluſti, tantidem putas eſſe bis ſenatorem,et bis quaeſtorem fieri,quanti bis conſularem,et bis triumphalem?carere debet omni uitio,qui in alterum paratus eſt dicere.is demum maledicit, qui non poteſt uerũ ab altero audire. Sed tu omnium menſarum aſſecla,omnium cubiculorum in aetate pellex,&idẽ poſtea adulter, omnis ordinis turpitudo es,et ciuilis belli memoria.quid enim grauius pati potuimus,quam quod te incolumem in hoc ordine uideamus?Deſine bonos petulantiſſima conſectari lingua: deſine morbo procacitatis iſto uti: deſine unumquemq.morib.tuis aeſtimare: his morib.amicum tibi facere non potes, uideris uelle inimicum habere.Finem dicendi faciã P. C.ſaepe enim uidi grauius offendere animos auditorum eos, qui aliena flagitia aperte dixerunt,quam eos,qui commiſerunt.mihi quidem ratio habenda eſt,non quidSalluſtius merito debeat audire,ſed ut ea dicam, ſi qua ego honeſte effari poſſum.

FINIS.

FRAGMENTA

EX. LIBRIS. HISTORIARVM

C. SALLVSTII

CRISPI

E. SCRIPTORIBVS

ANTIQVIS

ab Aldo Manutio, Paulli F.

COLLECTA

ALDVS. MANVTIVS
PAVLLI. F
STVDIOSIS

E quid omitteremus in-
N dustriae, quod ad vestram
vtilitatem attineret, Sallu
stij etiam fragmenta quaedam
imprimere visum est, quorum te
stimonio scriptores veteres in suis
libris vsi sunt.

ALDVS. MANVTIVS. PAVLLI. F
FRANCISCO. MORANDO
S. P. D

POstquam ad urbem ueni, totus in cognoscenda antiquitate fui. itaq. magnum uolumen effeci ueterum inscriptionum: Orthographiam uero meam, quam ad te ante annos tres misi, lapidum testimoniis confirmaui uehementer, atq. auxi. praecipuam autem industriam in eo locaui, ut fragmenta omnia ueterum scriptorum tum ad meam, tum etiam ad communem, utilitatem colligerem. quo in opere adhuc uersor: est enim multi laboris, nec exigui temporis. Sallustij, cuius lectione uehementer delector, loca iam omnia, nisi fallor, in unum coegi: quae uolui in tuo nomine apparere; ne me tuorum in patrem meum, ac me ipsum, officiorum oblitum putares. A te peto, ut hoc quamuis tenue munusculum ne contemnas, & ma-

iora a nobis exſpectes, ſi modo maiores in litteris, ut ſperamus, proceſſus erunt noſtri. nam inertiam, aut ignauiam, neq. uoluntas noſtra, neq. natura fert: & in eo te, qui liberalium diſciplinarum in ſtudiis ita uerſaris, ut ne ualetudini quidem parcas, libenter imitamur. Domeſticum, inquies, in hoc habes exemplum. Ita eſt: uerumtamen tu quoque me excitas, quem & patris iudicio, & mea etiam ſponte, non uulgariter diligo, ac, ueluti alterum parentem, colo. Vale, optime uir, nobisq. & amore, & ſimilitudine ſtudiorum coniunctiſſime: meq. illuſtri Comiti, ſapientiſſimo uiro, & maximarum artium ſcientia inſtructiſſimo, Iulio Iuſto, ad quem ſcribere aliquid cogito, plurimum commenda. Romae, Kal. Quinct. M. D. LXIII

FRAGMENTA EX. LIB. I. HISTORIARVM SALLVSTII

Ex D. Augustino de Ciuitate Dei, lib. 2. Cap. XIIX

SALLVSTIVS *in primo historiae suae libro, atque ipso eius exordio fatetur, etiam tunc, cum ad consules a regib. esset translata resp. post paruum interuallum iniurias validiorum, & ob eas discessionem plebis a patribus, aliasq. in vrbe dissensiones fuisse. nam cum optimis moribus, & maxima concordia populum R. inter secundum, & postremum bellum Carthaginiense commemorasset egisse; caussamq. huius boni non amorem iustitiae, sed stante Carthagine metum pacis infidae fuisse dixisset; vnde & Nasica ille ad reprimendam nequitiam, seruandosq. istos mores optimos, vt metu uitia cohiberentur, Carthaginem nolebat euerti: continuo subiecit idem Sallustius, & ait: At discordia, & auaritia, atq. ambitio, & cetera secundis reb. oriri sueta mala, post Carthaginis excidium maxime aucta sunt: ut intelligeremus, etiam antea & oriri solere, & augeri. unde subnectens cur haec dixerit: Nam iniuriae, inquit, ualidiorum, & ob eas discessio plebis a patribus, aliaeq. dissensiones domi fuere: iam inde a principio, neq. amplius, quam regib. exactis, dum metus a*

quindecī annorum. Liuius l. 2.

Seruius l. Aen. VI. legit, vltimū non, Postremum.

in Catilina 4: i Iugurt. 49. Florus lib. IV. Velleius lib. 2.

Seruius lib. Ge. IV.

cum Porsena, Etruscorum rege. Liuius l. 1.

Tarquinio, & bellum graue cum Etruria positum est, aequo & modesto iure agitatum. Vides, quemadmodum illo etiam breui tempore, ut regib. exactis, id est iectis, aliquantulum aequo & modesto iure ageretur, metum dixit fuisse causſam, quoniam metuebatur bellum, quod rex Tarquinius, regno, atque urbe pulsus, Etruscis sociatus contra, Romanos gerebat. Attende itaque, quid deinde contexat:

Donatus Andr. act. 1. sc. 1

"Dein, inquit, seruili imperio *patres plebem exercere, de vita, atq. tergo, regio more, consulere, agro pellere, & ceteris ex partib. soli in imperio agere. Quib. saeuitijs, & maxime fenoris onere, oppressa plebs, cum assiduis bellis tributum simul, & militiam, toleraret, armata montem Sacrum, atq. Auentinum,"* insedit. *Tumq. tribunos pl. & alia sibi iura, parauit. discordiarum, & certaminis vtrimq. finis fuit secundum bellum Punicum. Cernis, ex quo tempore, id est paruo interuallo post reges exactos, quales Romani fuerint, de quib. "ait: Ius, bonumq. apud eos non legib. magis, quam natura, ualebat. Porro, si illa tempora talia reperiuntur, quib. pulcherrima, atq. optima, fuisse praedicatur Romana resp. quid iam de consequenti aetate dicendum, aut cogitandum arbitramur; cum, paullatim mutata, ut eiusdem historici "uerbis utar, ex pulcherrima atq. optima, pessima ac flagitiosissima facta est, post Carthaginis uidelicet, ut commemorauit, excidium? Quae tempora ipse Sallustius quemadmodum breuiter recolat, & describat, in eius histo-*

Fronto eadem recitat in, Infido illum: & Diomedes lib. 2. cap. vi. in Catilina, 4.

in Catilina, 4:

ria

ria legi poteſt; quantis malis morum, quae ſecundis reb. exorta ſunt, uſq. ad bella ciuilia demonſtres eſſe peruentum. ex quo tempore, ut ait, maiorum mores non paullatim, ut antea, ſed torrentis modo praecipitati. adeo iuuentus luxu, atq. auaritia, corrupta eſt, ut merito dicatur, genitos eſſe, qui neq. ipſi habere poſſent res familiares, neq. alios pati. Dicit deinde plura Salluſtius de Sullae uitijs, ceteraq. foeditate reip. & alij ſcriptores in haec conſentiunt, quamuis eloquio multum impari. Cernis tamen, ut opinor, & quiſquis aduerterit, facillime perſpicit colluuiem morum peſſimorum, quo illa ciuitas prolapſa fuerit, ante noſtri ſuperni regis aduentum. Haec enim geſta ſunt, non ſolum antequam Chriſtus in carne praeſens docere coepiſſet, uerum etiam antequam de virgine natus eſſet. Cum igitur tot & tanta mala temporum illorum uel tolerabiliora ſuperius, uel poſt euerſam Carthaginem intoleranda, & horrenda dijs ſuis imputare non audeant, opiniones humanis mentibus, unde talia uitia ſilueſcerent, maligna aſtutia inſerentibus: cur mala praeſentia Chriſto imputant, qui, doctrina ſaluberrima, & falſos ac fallaces deos coli uetat, & iſtas hominum noxias, flagitioſasq. cupiditates diuina auctoritate deteſtans, atq. condemnans, his malis tabeſcenti, ac labenti mundo ubiq. familiam ſuam ſenſim ſubtrahit, qua condat aeternam, & non plauſu uanitatis, ſed iudicio ueritatis, glorioſiſſimam ciuitatem?

Ex M. Fabio Victorino in lib. I. Cic. de Inuentione; & ex Nonio, Cis, i. ultra.

Salluſtius, cum de reb. Romanis loqueretur, dixit, prius bella geſta, poſt pacem *eſſe fundatam. Res, inquit, Romana plurimum imperio ualuit. Ser. Sulpicio, & M. Marcello cos. omni Gallia* cis *Rhenum, atq. inter mare noſtrum, & Oceanum, niſi qua paludib. inuia fuit, perdomita. hic bellum geritur. Deinde* pacem *memorat conſecutam. Optimis autem moribus, & maxima concordia egit Romanus populus inter ſecundum, ac poſtremum bellum Carthaginienſe.*

ibidem.

Ardebat *omnis Hiſpania citerior.*

EX. AMMIANO. MARCELLINO lib. XV.

Omnes Gallias; niſi quae paludib. inuiae fuere, vt Salluſtio docetur auctore, poſt decennalis belli mutuas clades, Caeſar ſocietati noſtrae foederib. iunxit aeternis.

EX. FESTO

Obſidium.

Magnis opib. profectis, obſidium *cepit per L. Catilinam legatum.) al. Profectus.*

EX. CARISIO

lib. I. & Seruio in Virg. Aen. lib. I. & IIX. & Priſciano lib. XIV. bis. & Probi Catholicis.

A prin-

A principio urbis ad *bellum* Persi *Macedonicum.*) *hoc est, usq. ad &c. Prisc. l.* XV. *Nam a primordio urbis, ad bellum Persi Macedonicũ.*

ibidem.

Lanij, uinarij.

ibidem.

Torpedinem.) *idest animi, & corporis debilitationem.*

ibidem.

Agreste.) *in animali significatione.*

lib. II.

Sanctus aliter, *& ingenio ualidus.* in Cat. 3. & Iug. 31. 70. 81:

Insanum aliter *sua sententia, atq. aliarum mulierum.*

ibidem.

Vii Lepidus, & Catulus, decretis exercitibus, maturrime *proficiscerentur.*

ibidem.

Recens *scripsi.*) *Asper commentator nunc aduerbium, nunc nomen, esse dicit: potest enim esse temporis.*

ibidem.

Quos inter.

lib. III.

Lepidus, paenitens *consilij.*

EX VICTORINO
in lib. I. Cic. de Inu.
& ex Seruio in Virg. Aen. lib. I.

Sallustius, cum alijs historiographis singula tradidisset in libro primo historiarum, dat Catoni breuitatem. *Romani generis disertissimus* paucis absoluit. *Fannio uero* breuitatem.

EX PRISCIANO
lib. V.

Nobis primae dissensiones, uitio humani ingenij, euenere, quod inquies, *atq. indomitum, semper in certamine libertatis, aut gloriae, aut dominationis, agit.) sic & in oratione Philippi,* 87:

lib. VI.

Plebei *tribuniciam potestatem.) pro, Plebis. sic locutus idem Sallustius infra, in oratione Macri,* 91. *& Tacitus lib.* I. *Intercessit, inquit, Haterius Agrippa, tribunus plebei. Liu. l.* 2. *Tribunos plebei cauillans interdum, vt Volerrones uocaret. Vide & Carisium lib.* I.

lib. VII. & ex Seruio in lib. I. Ge.
& ex Probi Catholicis.

Sall. in prosa, lib. I. *historiarum:* Dubitauit acie *pars.) pro, Aciei.*

lib. VIII.

At inde, nulla munitionis, aut requie *mora, processit ad opidum.) pro, Requiei.*

lib.

lib. IIx. & ex Gellio lib. lib. xv. cap. xiii.

Igitur, uenditis proscriptorum bonis, aut dilargitis.

ibidem.

Equi, sine rectorib. exterriti, aut saucij, consternantur.

lib. x

Nisi cum ira belli desenuisset.

ibidem.

Iussu Metelli cornicines occanuere.

ibidem.

Domitium proconsulem, ex citeriore Hispania, cum omnib. copijs, quas parauerat, arcessiuit.

ibidem.

Curionem quaesiuit, *uti adolescentior, & populi suffragijs integer, aetati concederet Mamerci.*

ibidem.

Nexuit, *catenae modo.*

ibidem.

Neq. se recipere, aut instruere proelio, quiuere.

lib. xv. bis.

Res populi R. M. Lepido, Catuloq. consulibus, ac deinde militiae, *& domi gestas composui.) al. Domi, & mil.*

ibidem.

Atq. Seruilius aegrotum Tarenti *collegam prior transgressus.*

ibidem.

Ad *Olympum, atq. Phaselida.) de his urbib. sic Pedianus in 3. Verr. P. Seruilius bellum in Cili-*

cia

cia gessit, deq. ea triumphauit, captis Coryco, Olympo, Phaselide, trib. magnis eius terrae vrbibus.

ibidem.

Ad *Corycum.*

ibidem.

Apud *Lete opidum.*

ibidem.

Repulsus a Lete opido.

ibidem.

Apud *Praeneste locatus.*

ibidem.

Apud *Numantiam.*) *al. Mutinam.*

ibidem.

Neque, detrusus aliquotiens, *terretur.*

EX NONIO

Irritare, i. prouocare; & ex Cornelio Fronione in libello de exemplis elocutionum, qui ex hoc Fragmento extrema quattuor uerba recitat.

* *Tunc uero & posci, cum ceteri eiusdem caussae ducem senatus rati, maximo gaudio bellum* irritare.

Metus; & ex Gellio lib. IX. cap. XII.

Id *bellum excitabat* metus *Pompeij uictoris, Hiempsalem in regnum restituentis.*) *hoc est, quod Pompeius metueretur. Ad, A. l. Legendum puto, At.*

Vadum,

Vadum, masc.

Ex mox Stipidius, aduenien's cum legionibus, postquam tantas spiras haud facilem pugnantib. uadum, *cuncta hosti, quam suis, opportuniora uidet.) Est, qui pro Tantas spiras, Hieme aspera, re ponat. quo modo locutus idem Sallustius in Iugurtha, 47. Milites mense Ian. ex hibernis in expeditionem euocat. magnis itineribus, hieme aspera, peruenit ad opidum &c.*

Componere, i. redimere.

Quin lenones, & uinary, laniyque, quorum praeterea uulgus in dies usum habet, pretio compositi. *) Quo in loco Fabij Farnesij liber, Compositi pretio.*

Competere, i. rei cuiusque meminisse, aut constanter ualere.

Sic uero, quasi formidine attonitus, neq. animo, neq. auribus, aut lingua, competere.

Furtum, i. insidiae.

Illo profectus, uicos, castellaq. incendere, & fuga cultorum deserta igni uastare, neq. elata, aut securissimus metu gentis ad furta *belli peridonea.) Antiquus liber illustris adolescentis, omniq. uirtute praestantis, Fabij Farnesii, tollit dictionem, Illo; proq. Elata, Elate; pro Securissimus, Fecustissimus, habet. Notare uarietatem uolui, ut ex ea studiosorum iudicia acuantur; quodq. uni non licuit, pluribus, diligenter perscrutando, fortasse aliquando liceat. Seruius in Virgilij Aen. lib. XI. haec*

ex

ex Sallustij historijs recitat: Gens ad furta *belli per idonea. In Thesauro, ubi haec recitantur, deest verbum, Belli; & pro, Peridonea, legitur, Peridoneae.* de improprijs; & ex Gellio lib. x. cap. xxvi

Itaq. Sertorius, leui praesidio relicto in Mauritania, nactus obscuram noctem, aestu secundo, furtim, aut celeritate, uitare proelium in transgressu *conatus est.) Sallustius & de ijs, qui nauigassent, & de ipsis nauib. eo uerbo uti uoluit, in quib. gradus non sit desertio. Achilles Statius, eruditissimus uir, legendum putat pro, Aut celeritate, Aut celerirate.*

ex ijsdem, ibidem.

* *Ac indeq;* transgressos *omnes recipit modos*
* *praecepturus a Lusitanis) ex eodem Farnesiano libro, & Gellio, Mons; emendo, in Nonio, non, ut in uulgatis legitur, Modos. Praeterea dictionem, Praecepturus, quae est in Nonio, non probo, neque, quae est in Gellio, Receptus. Praeceptus, libentius legerim, idest ante occupatus. eoq. magis hac in opinione confirmor, quod scriptum diserte uideo in Farnesiano libro,* Praeceptūs.

ex ijsdem, ibidem.

Earum aliae, paullulum progressae, *nimio simul, & incerto onere, cum pauor corpora agitauerat, deprimebantur.) Emendandus est locus in Nonio, in quo mendose legitur, pro Paullum progressae, nimio simul, & incerto onere, Paullum nimio progressae, interim sicco onere.*

Ex

Ex Nonio, de doctorum indagine.

Et ponere ualidam urbem multos dies *restantem pugnando uicit.*) *al. Deponere. Pugnando cepit, in Catilina, 3: 28. & in Iugurtha, 42: Manu cepit, 30: Et Liuius lib. 3. Quem agrum miles pro parte uirili manu cepisset, eum senex quoq. uoce, qua una posset, uindicaret.*

ibidem, Deinsuper.

Sertorius, Parthis turbam orantibus, & nullo, ut in terrore solet, generis, aut imperij discrimine, *per calonum corpora ad medium, quasi* deinsuper, *adstantium manib. in murum attollitur.*) *hic uideo inesse mendum: nec tamen quid quam elicere potui ex alio Nonij loco, ubi idem fragmentum recitatur, quod sensum mihi afferret satis commodum. In dictione enim,* Discrimen, *idem fragmentum recitans, pro Parthis, Fortis; pro Turbam orantibus, Turba morante, legitur. Aliquando sum suspicatus hoc totum ita esse legendum: Sertorius, portis turba morante, & nullo, ut in t. & c. de quo iudicent eruditi. ego satis habeo locum mutilum ostendere: quia primum beneficium est, deprauata loca corrigere; secundum, indicare: ut, quod uni non licet, multi simul operam nauantes assequantur. Seruius Aen. lib. IX. haec ex Sallustio recitat: Sertorius, humeris sublatus, per muros adscendit.*

EX DIOMEDE

lib. I. cap. IV.

Sensim Metello cornicines occinuere.

EX DONATO.

in Ter. Hec. act. 2. sc. 2. & Phorm. act. 5. sc. 6.

Liberis *eius* auunculus *erat*.

in Phorm. act. 5. sc. 8.

Solis *uijs*.

EX. FRONTONE

Abnuere.

Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros.

Cogo domum te.

Maturauerunt, exercitum bracchium cogere.) *pro Bracchium, uidendum, paullo ne commodius legeretur, Dyrrachium.*

Circumdata hac re illam rem:

& ex Prisciano lib. XV

Occupatusq. collis editissimus apud *Ilerdam, & cum multa opera* circumdata.

Concedere in gratia.

Quorum in gratia pleriq. concesserant.) *in oratione Macri, 90:*

Commoritur illis.

Obuiam ire, & commori *hostibus*.

Doctus illam rem.

Doctus *militiam*.

Decet tibi.

Locum etitiorem, quem victoribus decebat, *capit.*) *Cum antea suspicatus tantum essem, tenui*

quadam mea coniectura ductus, locum hunc ita legi debere: Locum editiorem, quam &c. nunc nihil dubito, quin mea coniectura uera sit: cum a Seruio quoque in Virgilij Aen. lib IIX. *haec recitari emendate uideam. Sic locutus idem Sallustius in Iugurtha* 58. *Locum cepere paullo, quam alij, editiorem. &* 76. *Ea cuncta Romanis ex tenebris, & editiorib. locis, facilia usu.*

Egressus illam rem;

& e Seruio in Virg. Aen. lib. 2.

Gens, raro egressa *fines suos.*

Gnarus illius.

Et muneris eorum Metellus per litteras gnarus.) *Pro, Et muneris, Itineris, libentius reponerem.*

Indignus hac re.

Et indigni *rep.*

Insolitus huius.

Genus, armis ferox, & seruitij insolitum.) *sic in Iugurtha*, 48. *Pars, insolita rerum bellicarum.*

In tempore, idest opportune; & ex

Donato Phorm. act. 2. sc. 4.

Maximeq. ferocia regis Mithridatis, in tempore *bellaturi.*) *sic in Iugurtha*, 56. *al. Maxima feroc.*

Maturo hanc rem.

Fugam maturabat.

Medio illius, pro illo medio.

Medio diei.) *sic Virg.* x1. *Ecce fugae medio. &c.*

FRAGMENTA
EX. LIB. II. HISTORIARVM SALLVSTII

EX. CARISIO
lib. I. & ex Probi Catholicis.

Virile, ac muliebre secus.) *hoc est, Virilis sexus: quod per omnes casus integra forma declinatur.*

lib. 2.

Noctu diuq. stationes, & uigilias, tentare. in Cat. 8: m. 25. in Iug. 40. 47: 50: 62. 74: Dies noctesq. 40. 73:

ibidem.

Obuiam *fuere.*) *Vbi Asper: Vetuste, aduerbio maluit uti, quam nomine.*

ibidem.

Nam procul, *& diuersis ex regionibus.*

ibidem.

Vespera.

EX. GELLIO
lib. x. cap. xx

Nam Sullam consulem, de reditu eius legem *ferentem, ex composito tribunus pl. C. Herennius prohibuerat.* Cn. Pompeij, Magni patris.

EX. MACROBIO
lib. III. cap. XIII

At Metellus *in ulteriorem Hispaniam post an-*

num regressus, magna gloria, concurrentib. undiq. uirili, & muliebri sexu, per uias, & tecta omnium uisebatur. cum quaestor C. Vrbinus, alyque, cognita uoluntate, eum ad cenam inuitauerant; ultra Romanorum, ac mortalium etiam morem, curabant, exornatis aedib. per aulaea, & insignia, scenisq. ad ostentationem histrionum fabricatis; simul croco sparsa humus, & alia in modum templi celeberrimi. Praeterea, cum sedenti in transenna demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum, coronam ei imponebat: tum uenienti, ture, quasi deo, supplicabatur. Toga picta plerumq. amiculo erat ei accumbenti. Epulae quaesitissimae, neq. per omnem modo prouinciam, sed trans maria, ex Mauritania uolucrum, & ferarum incognita antea plura genera. Quib. ex reb. aliquantam partem gloriae dempserat, maxime apud ueteres, & sanctos uiros, superba illa, grauia, indigna Romano imperio existimantes.

de rep. ordin. 98:

CEIX. NONIO

Sexus, neutro genere.

At Metellus, in ulteriorem Hispaniam post annum regressus, magna gloria, concurrentib. undiq. uirili, & muliebri sexu, per uias, & tecta omnium uisebatur.) sic autem est legendum; non, vt antea. Concurrentium, Virile, & muliebre sexus, &, Visebantur.

EX. SERVIO
in Virg. Aen. lib. v.

Transenna *dimissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti imponebat.*) *ideſt, extensus funis.*

EX. NONIO

Transenna, non, ut quidam putant, transitus, sed fenestra.

Transenna *demissum Victoriale simulacrum cum machinato strepitu coronam capiti imponebat.*

Demittere, i. desuper mittere.

Cum machinis strepitu demissum *Victoriae simulacrum coronam capiti imponebant.*) *Haec in antiquo Nonio Farnesiano ex lib.* III. *adducuntur.*

EX. DONATO
in Ter. Phorm. act. I. sc. 4.

Sed *Metellus in ulteriore prouincia.*

EX. PRISCIANO
lib. V

Quem ex Mauritania rex Leptasta, *proditionis insimulatum, cum custodib. miserat.*

lib. V. & VI

Inter laeuam moenium, & dextrum flumen Turiam, *quod Valentiam paruo interuallo praeterfluit.*) *al. Inter laeua moenium, dextrum flumen*

Turia, q. V. p. i. p. Praeterea ex 4. historiarum haec quidam recitant, non secundo. Durium autem, pro Turiam, legerim libentius, ex epistola Cn. Pompeij apud eundem Sallustium, Ciceronis oratione pro Balbo, & historia; nisi a Probo in Catholicis ex Sallustio haec citari uiderem: Et dextrum flumen Turia: Priscianusq. haec diceret: Masculinum est, quia accusatiuus terminat in Am. nam, si esset neutrum, similis esset accusatiuus nominatiuo.

lib. V. & VI. & ex Donato in Eun. act. 3. sc. 1.

Tarteſſum, Hispaniae ciuitatem; quam nunc Tyrij, mutato nomine, Gaddir habent.) neutro genere. nam, si esset femininum, Gadirem dixisset. al. Gandirum.

lib. VI

Nisi quia flumen Lurda, *Tauro monte defluens.) al. Nisi quoniam. &c.*

ibidem.

Quia corpore, & lingua, percitum, & inquietem *nomine histrionis uix sani Barbuleium appellabant.*

ibidem.

Eam deditionem senatus, per nuncios Orestis *cognitam, approbat.*

ibidem.

Sed ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope litora regebat nomine Corsa Ligus *mulier.*

lib.

lib. IIX

At Lucullum regis cura machinata *fames breui fatigabat.) Machinata, passiue dixit.*

lib. X

Quos aduersum multi ex Bithynia uolentes oc currere, falsum filium arguituri *) pro, Arguturi.*

ibidem.

Neq. inermes ex proelio uiros quemquam agnoturum. *) secundum analogiam.*

ibidem.

Argentum mutuum arcessiuit.

ibidem.

Diuersa, uti solet reb. perditis, lacessiuit.

lib. XV.

Audaciter.) *secundum analogiam.*

EX. NONIO

de uocabulorum significationibus;

& ex Isidoro lib. XIV. cap. VII.

Sardinia, in Africo mari, facie *uestigij humani, in Orientem, quam in Occidentem, latior* prominet.

Deturbare, i. deiicere, demouere.

Moenib. deturbat.

Immane, nomen potsium pro aduerbio.

Immane *quantum animi exarsere.) Sic Cic. de Fin. lib. IV. 142: Differre inter honestum, & turpe nimium quantum, nescio quid immensum, inter ceteras res nihil omnino interesse.*

Ter. Phorm. act. 4. sc. 3.

CH. *Cedo, quid postulat?*

GE. *Quid? nimium quantum libuit.*

Sic enim emendaui, ex Carisio, lib. 2. cum ante legeretur, Quid? nimium quantum libuit.

Quinctil. lib. 4. cap. 2. Pecunia, quae nimium quam in animis hominum potest.

Plin. lib. XVI. cap. 36. Immensum quantum praelatis; pro, quammaxime praelatis. Et lib. XLIX. cap. 28. Infinitum quantum illo tempore candentes pruinas congelat.

Gell. lib. XVI. cap. 6. Nimium quantum audacter. Et lib. XIIX. cap. 3. Lingua, atq. facundia nimium quanto praestabilis.

Ammianus Marcell. lib. XXII. Insula Pharos Rhodiorum erat obnoxia uectigali. quod cum inde quidam, nimium quantum pecuniari, uenissent, femina callida, &c.

Satias, pro satietas.

Hi, salub. occupatis, externorum agros inuasere, frumentiq. ex inopia graui satias facta) al. In salt. occ, sum ex. i. a. i, s. q. e. i. grauis. facti.

Sportae, aut ab sparto, quasi spárteas, aut ab asportando.

E muris canes sportis demittebant.

Obsequella, feminino genere.

Ibi, Fimbriana seditione, qui regi per obsequellam orationis, & maxime odium Sullae, graues, cariq. erant.

Dicere,

Dicere, i. promittere.

Eodem anno in Macedonia C. Curio principio ueris cum exercitu profectus in Dardaniam, quib. potuit pecunias dictas *coegit.*) *sic enim patet legendum esse ex antiquo Farnesiano libro; non, vt in in quibusdam uulgatis libris, Pecunias amplius coegit. Al. C. Curio in principio.*

Fiducia, i. audacia; & ex Donato in Ter. Hec. act. 4. sc. 1. & Phorm. act. 1. sc. 4.

Ita fiducia, *quam argumentis, purgatiores dimittunt.*) *al. Pugnatores dimittuntur; uel, Purgatiores dimittuntur.*

Graue, i. molestum.

Et continetur grauis.

Rumor, i. opinio est.

Ad haec rumorib. *aduersa in prauitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando, corrumpebant.*) *id est, si quae aduersa euenerant, prauitatis esse dicebant; si secunda, casus; si uero quid, fortunae causa, amisisset, temeritatis. Aemil. Prob. in Datam. uita. Namq. eam esse consuetudinem regum, ut casus aduersos hominib. tribuant, secundos fortunae suae.*

Saucius, i. uulneratus, non maestus.

Auidisq. ita, promptisq. ducibus, vt Metellus ictus tragulae sauciaretur) *hoc loco Nonius hoc fragmentum ex secundo historiarum recitat, vt in uulgatis; ex primo, vt in Farnesiano libro; in*

commenta-

commentariolo autem de genere armorum ex tertio. est autem ibi mendum, nisi fallor: nam pro, Auidisq. ita, promptisq. ducibus, Auidissimis, atq. promptis ducibus, legitur.

de improprijs.

Multiq. commeatus interierant insidijs latronum.) in Nonio Farnesiano, haec ex I. historiarum adducuntur.

de numeris, & casibus.

Ruinaq. pars magna, *suismet, aut proxumorum telis, cereri uice pecorum obtruncabantur.*

de mutatis coniugationibus.

Dubium, an insula sit, quod Euri, atq. Austri superiactis fluctibus circumlauit.

de genere nauigiorum.

Primo incidit forte super noctem in lenunculo *piscantis.) pro Super, Per, quidam reponunt; pro Lenunculo, Remunculo, ex Gellio lib. x. cap.* XXI.

ibidem.

Ad hoc pauca piraticae actuaria *nauigia.*

de genere uestimentorum.

Occurrere duci, & proelium accendere, adeo uti Metello in sagum, *Herculeio in brachium tela uenirent.) al. Ut, pro Uti; & Hirculeio, pro Herculeio. De Herculeio quodam mentio apud Catullum, de nuptijs Iuliae, & Manlij,* LVI. *Eutropius autem lib.* VI. *& epit. Liuij* XC. *&* XCI. *& Orosius lib.* V. *Hirtuleium, Sertorij ducem, nominant.*

Est

Est autem is, qui, Sertorium secutus, tandem caesus est a Q. Metello: cuius mentionem facit & Frontinus in Stratagematis. Quem Catulli locum interpretantes uiri quidam docti, affirmarunt, Arunculeia, non Herculeia, scriptum esse in suo satis antiquo libro: dixeruntq; se potius Aruncana, ab Aruncа opido, reposituros. ego uero, non omnino reclamantib. antiquis libris, Aurunceia, scribendum puto. Aurunceiam autem familiam Cottae cognomine usam fuisse, patet & ex C. Caesaris commentarijs de bello Gallico, & ex antiquorum lapidum testimonio minime incerto. Quamquam mendose, ut puto, Aurunculeius, in Caesare, legitur: cum Aurunceius scribi debeat.

A Praeneste tertio lapide, extra opidulum, quod uulgo Zagaruoli dicitur, in Ecclesia, allatum ex Nymphaeo, quod sub radice montis fuit, ubi adhuc fons pulcherrimus.

C. AVRVNCEIVS
COTTA
COLONIS. INCOLIS. HOSPIT.
ADVENTORIBVS. SERVISQVE
EORVM
LAVATIONEM. EX. SVA. PECVNIA
GRATVITAM. IN. PERPETVOM. DEDIT

Interamnae

Interamnae

AVRVNCEIAE
C. F. FELICVLAE
L. PEDVCAEVS
CHARITO
CONIVGI
BI. M

Quidam eruditi uiri in Catullo pro, Herculeia, Herde Iula, reponunt. Quae mihi lectio uehementer probatur, sic, vt nulla alia magis. Quidam in suo Catullo legi affirmant, Iuleia. Achilles Statius, magni uir ingenij, admonitus suo ueteri libro, in quo legitur, Aurunculeia, legendum putat, Auruncleia. Idem, Hirculeia; uel, Herculeia, reponit.

EX. FRONTONE

Atrox huius rei.

Ipse animi atrox.

Afflictus illam rem.

Circumuenti dextra, unde ferrum erat, saxa, aut quid tale, capiti affligebant.

Desiste hac re.

Vt actione desisteret.

Extorris his.

Orbe, patriaq. extorres.) *sic in Iugurtha,* 35:

Extor-

Extorrem patria, domo, inopem, & coopertum miseriis.

Integer illa re.

Copiis integra.

Instruitur huic rei.

Antequam regressus Sertorius instrueret *pugnae suos.*

Imposuit in illam.

Omnia sacrata corpora in ratem imposuisse.

Inferior tibi.

Vt grauis, & nulla arte cuiquam inferior.

Laetus huius rei;

& e Seruio in Virg. Aen. lib. 1

Frugum, pabuli, laetus *ager.*

Nimius hac re.

Post, ubi fiducia nimius.

Praeminet.

Omnes, qui circum sunt, praeminent *altitudine millium passuum duorum.*

Promptus illius.

Neq. uirgines nuptum a parentib. mittebantur; sed ipsae belli promptissimos *deligebant.*

Suetus his.

Genus militum, suetum *a pueritia latrociniis.*

Transmitto illa re.

Suos equites hortatus, uado transmittit.

EX. SERVIO
in Virg. Ge. lib. IV.

In qua crocum *gignitur) genere neutro, secundum artem.*

EX. NONIO

Iter uertit ad Corycum, urbem inclutam, pastusq. nemore, in quo crocum *gignitur.*

EX. DONATO
in Ter. Andr. act. 4. sc. 2.

Ne *illa tauro parita sunt.) pro, Nedum.*

in Adelph. act. 3. sc. 2.

Ictu eorum, qui in flumine ruebant, *necabantur.*

in Phorm. act. 1. sc. 3.

Modestus *ad omnia alia, nisi ad dominationem.) i. moderatus.*

ibidem.

* *Et Poeni fuerunt aduersus* ANCM.

FRAGMENTA
EX. LIB. III. HISTORIARVM
SALLVSTII

EX. MACROBIO
lib. I. cap. IV. & ex Carisio lib. I.

Bacchanaliorum. Vulcanaliorum.

EX. CARISIO
lib. 2.

Crispus 3. Non tu scis, si quas aedes ignis cepit acri ter, *haud faciles sunt defensu, quin & comburantur proximae. al. Carpit; &, Haud facile.* in Cat. 5: 11: 17. 20. 22:

EX. PRISCIANO
lib. VI

Equis, & armis decorib. *cultus.*

ibidem.

Dedecores, *multiq. per terga ab hostib. caedebantur.*

ibidem.

Unus constitit in agro Lucano, gnarus loci, nomine Publipor.) *sic Marcipor, Festus, Plinius lib. XXXIII. cap. I. & Quinctilianus lib. I. cap. IV. &, Quinctipor, Varro in epistola ad Fusium apud Nonium, Gargaridiare; et idem apud eundem Edolare; et Festus, qui etiam, Caipor. Quin etiam, si*

Nonio

Nonio credimus, Varronis liber exstabat, Marcipor, inscriptus. Ignarus consilij, 7: 33: 47: Locorum scientes, 70 75: 76. Scientes belli, 76. Regionum scientissimi, 77: Peritia locorum & militiae, 51: Ignarus loci, 33: 38.:

ibidem.

Male iam assuetum ad omnes uis *controuersiarum.) pro, Vires.*

lib. IX

Dein, lenita iam ira, postero die libra lib. uerbis permulcti *sunt.*

lib. X

Coniuratione claudit) *pro, Claudicat.*

ibidem.

Parte consumpta reliqua cadauerum ad diuturnitatem usus sallerent) *Sallerent, dixit, a Sallo, non a Sallio.*

EX NONIO

Caluitur, dictum est, frustratur, tractum a caluis mimis, quod sint omnib. frustratui; & ex Prisciano lib. IIX. & X.

Contra ille, calui ratus.) *pro, Decipi.*

Glisci, i. congelascit, colligit, crescit, ignescit.

Neq. iam sustineri poterat, immensum aucto mari, & uento glisccnte.) *in Iugurtha, 65.*

Munia, i. officia.

At tum maxime, uti solet in extremis reb. sibi quisque,

quisque, clarissimum domi recordaui, cunctiq. omnium ordinum munia sequi.) *al. Carissimum d. recordari, &c.*

Vitabundus, i. uitans.

Duos quammaximos utres leui tabulae subiecit, quam super omni c opore inuicem tracto pede quas gubernator exsisteret, ea inter molem, quae insulam mari uitabundus *classem hostium ad opidum peruenit.*) *Tractu pedis, quasi gub. &c. legit Michael Bentinus in suis in Nonium scholijs, accurata in litterarum studio diligentia praeditus. Quo modo postea & in antiquo Fabij Farnesii libro, nobilissimi iuuenis, omniumq. bonarum artium studiosi, scriptum comperi.*

Forum, gen. masc.

Illum nautis forum.

Aptum, i. connexum, colligatum.

Quod ubi frustra tentatum est, socordius ire miles, obrepere non aptis *armis, ut in principio, laxiore agmine.*

Aemulus, i. sectator, imitator; & ex eodem, de numeris, & casibus, Accusat. pro genit.

Sed Pompeius a prima adolescentia sermone sautorum similem fore se credens Alexandro regi, facta, consultaq. eius quidem aemulatus *erat.*) *Est qui pro Quidem, Quaedam, uel Quondam reponat. Cum autem accusatiuum hic nullum uideam, pro genitiuo usurpatum, ut Nonius ait: errorem Nonij putabam; nisi in mentem uenisset, Aemulus,*

pro Aemulatus, reponi posse. itaq. sententia plana erit. Aemulus, inquam, facta, consultaque; pro, Aemulus factorum, consultorumq. sin aliter legas; sententiam Nonij me nondum assequi, libenter fateor.

Graue, i. multum ualde.

Namq. is, praeter solita uitiosis magistratibus, cum per omnem prouinciam, infecunditate bienij proximi, graue *pretium fructib. esset.*

Ingenium, i. natura.

Castrisq. collatis, pugna tamen, ingenio *loci, prohibebatur.*

Optare, i. eligere.

* *Atq. eum cupio laudatum, accensum, quae praemiorum spes, quib. cum optauisset, ire iubet.) al. Atq. cupio &c. accensumq. &c. spe, &c. Farnesianus liber, Iuuet, pro Iubet.*

Tamen, i. tandem.

Nam, qui enare conati fuerant, icti saepe ferramentis nauium, tamen *aut uulnerati a suis, aut afflicti undarum ui, multato foede corpore, postremo periere.) Fronto in Afflictus illam rem, ex Sallustij historijs citat,* Afflicti *alueos undarum, maleato corpore interibant.*

de improprijs.

Ac statim fugitiui, contra praeceptum ducis, rapere adstuprumuirgines, *matronasque. Haec ex quarto adducuntur in Farnesiano libro vide Catull.* LVI.

de

de mutata declinatione.

Nam terna tunc erat, & sublima nebula caelum obscurabat.) al. Nam taetra tunc &c. *

de genere nauigiorum.

Et forte in nauigando cohors una, grandi fascio *uecta, a ceteris deerrauit, mariq. placido a duob. praedonum* myoparonib. *circumuenta.*

de genere uestimentorum.

Et eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum multo sanguine suorum defensus postquam ex sarcinis paludamenta *adstari, & delectae cohortes intelligi coepere.*

de genere armorum.

Quarum una epistola forte cum seruo nacti praedatores Valeriani, scorpionem *in castra misere.*

ibidem.

At Oppius, postquam orans nihil proficiebat, timide ueste tectum pugionem *expedire conatus. a Cotta, Vulscioq. impeditur.*

ibidem.

Saxaq. ingentia, & axe iunctae trabes per pronum incitabantur, axibusq. eminebant in modum ericij *militaris ueruta binum pedum.) vide fragmentum, ex libro incerto historiarum, apud Seruium Aen. IX. Ericium, bellica machina. Caes. lib. 3. de bel. ci. 194:*

EX. FRONTONE

Ago illam rem.

Amittendum morem hunc, quem agitis.

Dubius huius.

Dubius *consilij.*)*sic lib. sequenti, Consilij* aeger; *&*, Anxius *animi, atq. incertus, apud Frontonem.*

Egressus illam rem.

* *Posq.* egressus *angustias.*) *Fortasse, Postquam, legendum; uel, Postque.*

Fine illius rei.

Fine *inguinum ingrediuntur mare.*

Firmatus illius rei.

Ad Cyzicum perrexit, firmatus *animi.*) *sic lib. sequenti, apud Frontonem*, Territos *animi firmauit. & in Catilina*, 17. *Igitur, confirmato animo. &c.*

Genitus illi rei facundae; & ex Asconio in Verr. III

M. Antonius, *perdundae pecuniae* genitus, *uacuusq. a curis nisi instantibus.*

Gratiam illius criminis facio.) *Illi, legendum puto.*

Post reditum eorum, quib. senatus belli Lepidiani gratiam fecerat.

Incumbit illam rem.

Vt sustinere corpora pleriq. nequeuntes, arma sua quisquis instans incumbere) *Seruius in Virg. Aen. lib.* IX. *haec ex Sallustij historys recitat: Fessi, arma sua quisq. stantes incumbere.*

Ingens

Ingens illius rei.

Ingens *ipse uirium, atq. animi.*

Insisto in illo loco.

Locum nullum, nisi quo armati institissent.

Kaptus hoc.

Octauium mitem, & Kaptum pedibus) *Mitem, potest ferri: Militem, tamen, uel, Ditem, libentius legerem. sic in Catilina, 27. Pedibus aeger.*

Succesit illum.

Muros successerant.

EX. SERVIO
in Virg. Ge. lib. 2.

Quis a Sertorio triplices insidiae *per idoneos saltus positae erant.) al. Quia Sert. &c. Sic, Triplicib. subsidijs, in Iugurtha, 53.*

Aen lib. 1.

Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio; *super eum Tuscius Fabius Hispaniensis senator; ex proscriptis, in summo Antonius, & infra scriba Sertorij Versius; & alter scriba Maecenas in imo, medius inter Tarquinium, & Domum Perpenna.) Antiquus liber Cardinalis optimi, omniq. laude cumulati, Rai nutij Farnesii, pro, Tuscius, habet, Lucius: (Lucij autem Fabij Hisp. mentio est in antiquo nummo argenteo apud eundem Cardinalem.) pro, Tarquinium, Tarquitium: pro Domum; uel, ut alibi impressum, Deatium, Domi-*

num, quo modo & apud Nonium legitur, haec eadem recitantem in uerbo, Dominus; quod ipse, ibidem subiungens, Conuiuij exhibitor, interpretatur. Verum apud Nonium pro, Alter scriba Maecenas, Alteri scribam & coenas, mendose legitur. Praeterea in antiquo illo libro Farnesiano pro Perpenna, Perpernam scriptum comperi. Et a Perperna conuiuium illud, quo Sertorius inuitatus a coniuratis interemptus est, Plutarchus datum esse ostendit. De conuiuarum autem numero vide quae dixi in illum locum Horatij, sat. vlt. lib. 2.

-secutis omnib. imis.

Isid. l. xx. c. ii. Varro de vita P. R. Viri discumbere coeperunt, mulieres sedere: quia turpis uisus est in muliere accubitus.

Antiquus liber Bibliothecae Caesenatis, pro Tuscius, habet, Tutius; pro, Domum Perpenna, Domitium Perpennam. Et liber Bartholomaei Rauerij Caesenatis, amicissimi mei, & bonar. artium perstudiosi, pro, Tuscius Fabius, habet, T. Fabius; praeterea tollit dictionem, Scriba; & pro Domum, Denatium, habet.

FRA-

FRAGMENTA
EX. LIB. IV. HISTORIARVM SALLVSTII

EX. FESTO
Sublicium.

Salluſtius libro qu ∗ *ne inrumiendi p.* ∗ ſublicib. *cauata* ∗ *ſent.*

Tabes t

Qui quidem mos, vt ᶻtabes, *in urbem coniectus.* in Cat. 14. & in Iug. 45.

EX. GELLIO
lib. XIIX. cap. IV

At Cn. Lentulus, patriciae gentis, collega eius, cui cognomentum Clodiano fuit, per incertum ſto lidior, *an* uanior, *legem de pecunia, quam Sulla emptorib. bonorum remiſerat, exigenda promulgauit.*

EX. SERVIO
in Virg. Aen. lib. XI

Et ſequebantur equites cataphracti. *) In Thesauro, vbi haec recitantur, pro Equites, Milites, legitur.*

EX. CARISIO
lib. I.

& ex Seruio ibidem.

Caſtella, cuſtodias *theſaurorum in deditionem ac-*

ciperentur.) pro, Custodiae. & ita etiam Asper intelligit. licet alij accusatium uelint. sed emendatius, Custodiae.

EX DIOMEDE
lib. I. cap. IV

Reliqua cadauera salita.

EX. PROBO
in Catholicis.

Hoc Naphtas, *huius Naphtae.) genus olei, cedro similis.*

EX. PRISCIANO
lib. VI
& ex Nonio, Madore, i. infusione.

Quasi par in opido festinatio, & ingens terror erat, ne ex latere noua munimenta madore *infirmarentur. nam moenia opidi stagnabant redundantib. cloacis aduerso aestu maris.) Infirmantur, in Prisciano. In antiquo Nonio Farnesiano, haec ex 3. adducuntur. Et pro, Munimenta, Monimenta legitur; pro, Moenia, Omĩa.*

ex eodem Prisciano
lib. VI

Namq. primum Iasonem, nouo itinere maris, Aeetae *hospitis domum uiolasse.*

lib. IIX

Amissumq. asideri *sine proelijs audiebat.*

lib.

lib. IX.

Implicatae *rates miniſteria prohibebant.*

lib. IX. & X.

Omnes, quibus, ſenecto *corpore, animus militaris erat.) Omnis, Priſcianus in* X.

lib. X.

Igitur legiones, pridie in monte poſitas, arceſsiuit.

lib. XIV

Si nihil ante aduentum ſuum inter plebem, & patres, conueniſſet, coram *ſe daturum operam.*

EX. NONIO

Demoliri, i. diruere.

Pluteos reſcindit, ac munitiones demolitur, *locoq. ſummo potitur.*

Gnaritas, i. ſcientia.

Diuerſa, vti ſolet, reb. perditis capeſſiuit. namq. alij, fiducia gnaritatis *locorum, occultam fugam, ſparſi globis, eruptionem tentauere.*

Volentia, ideſt quae uellent, a uoluntate.

Multisq. ſuſpicionib. uolentia *plebi facturus habebatur.) Sic Tacitus lib.* XV. *Haec, atq. talia plebi uolentia fuere. Et lib.* 18. *Muciano uolentia ſcripſere.*

Laxitas, i. laxitudo.

Simul eos, & cunctos iam inclinatos laxitas, *& loci* * *plures cohortes, atq. omnes, vt in ſecunda re pariter acre inuadunt.*

Com-

Componere, i. coniungere.

Suspectusq. fuit. incertum uero, ac per negligentiam, societatem praedare cum latronib. composuisset) *Bentinus, Praedam ue; Farnesianus liber, Praedarum.*

Comparare, i. componere, machinari.

Eos, qui hoc malum publicum clandestinis consilijs comparauerunt.

Contentio, i. perseuerantia, elatio.

Rursus, iumenta nacti, ad opidum ire contendunt.

Hiare, i. aperire.

Atq. hiauit *humus multa uasta, & profunda.*

Inuitare, i. delectari.

**Et uersi postero die, multoq. properantes deseuerant, in castris nacti, cum se ibi cibo, uinoq. laeti* inuitarent. *)Quidam pro, Et uersi, reponit Vniuersi. mihi uero ne sic quidem sententia satisfacit.*

Patibulum.

In quas notissimus quisque, aut malo dependens uerberabatur, aut immutilato corpore improbi patibulo *eminens affigebatur.) alij, Nouissimus. al. haec ex 3. adducuntur.*

de mutata declinatione.

Curio, Volcanaliorum *die ibidem moratus.*

ibidem.

Cum interim, lumine etiam tum incerto, duae Galliae *mulieres, conuentum uitantes, ad menstrua soluenda montem adscendunt.) sic in Iugurtha, 39: Obscuro etiam tum lumine.*

de

de genere nauigiorum.

Eum, atq. Metrophanem senatus magna industria perquirebat, cum per tot scaphas, *quas ad ostia cum paucis fidis percunctatum miserant.) Carisius lib. 1. Ostia, Sallustius frequenter, plurali numero; ideſt, urbium. al. Fides. male. Haec. ex 3. adducuntur in Farnesiano libro.*

ibidem.

Quammaximis itinerib. per regnum Ariobarzani contendit ad Euphratem, qua in parte Cappadocia ab Armenia disiungitur: &, quamquam ad id naues codicariae, *occulte per hiemem fabricatae, aderant. &c.*

de genere armorum.

Hi, locorum perignari, & soliti nectere ex uiminib. uasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuere, ad eam arcem se quisq. in formam parmae *equestris armabat.) Quidam pro, Fuere, Fecerat, reponit; pro, Arcem, Artem. Farnesianus liber, Fuere, ad eas arces se quisq. &c.*

ibidem.

Qui praegrediebantur equites cataphracti *ferrea omni specie.) Bentinus, et Farnesianus liber, Praetergrediebantur.*

EX. FRONTONE

Auidus illius rei.

"Auidior *modo properandi factus.* in Iug. 46. 57: 59. 74:

Aeger illius.

Consilij aeger.

Altum

Altum pedes tot.

* Clausi *lateribus pedem.) Fortasse legendum*, Alti *l.p.*

Anxius illius rei.

Anxius *animi, atq. incertus.*

Cultorem sui.

Collegam minorem, & sui cultorem *exspectans.*

Digredior illum locum.

Exercitum dimisit, vt primum alpes degressus est.

Exterritus ullius rei.

in Cat.8.& in ep. Mithridatis, l.4.hist.94.

Tetrarchas, regesq. territos *animi formauit.) lege, Firmauit. uide fragmentum libri superioris, apud eundem Frontonem.*

Emergit se.

Vbi se laniata nauigia fundo emergunt.

Exorsus orationem.

Magna exorsus *orationem.*

In medium, pro in commune.

Dissidere inter se coepere, neq. in mediū *consultare.*

Nimius illius.

Impotens, & nimius *animi est.*

Par hac.

Scalas pares *moenium altitudine.*

Patet tot pedibus.

Ad Siciliam uergens, faucib. non amplius patet *millib.* v. *&* xxx.

Propinquat illam rem.

Tum uero Bithyni, propinquantes *iam amnem Tartanium:*

FRA-

FRAGMENTA
EX. LIB. V. HISTORIARVM SALLVSTII

EX. PRISCIANO

lib. VI

Daedalum, ex Sicilia profectum, quo Minonis *iram, atq. opes, fugerat.) uide fragmentum libri incerti, apud Seruium in librum Ge. I. Al. D. e. S. p, q. M. f. i, a. o.*

lib. XIIX

At Lucilius, audito *Marcium Regem proconsulem per Lycaoniam cum trib. legionib. in Ciliciam* tendere.

ibidem.

Legiones Valerianae comperto, *lege Gabinia* * *Bithyniam, & Pontum consuli datam,* missos esse,

ibidem.

Saepe celebritatem nominis intelligo timentem.) *pro, Timere. al. S. c. n. te lego timentem.*

ibidem.

Video ingentia dona quaesitum ire properantem.) *pro, Properare. al. Quaesita Graeciae pr.*

EX. NONIO

Mercatis, pro mercantibus.

Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum;

aut

aut tribunorum, & pars ſua commeatib. mercatis. *) al. in Farneſiano libro, Mercatibus, pro Mercantibus; &, Famuliaria, pro, Familiaria.*

EX . FRONTONE

Auerſor illum.

Regem auerſabatur.

Euenit in illo.

Nam, ſi in Pompeio quid humani euenisſet.

Frater illi.

Et uxori *eius* frater *erat.) uide frag. lib. 1. apud Donatum in Ter. Hec act. 2. ſc. 2. & Phorm. act. 5. ſc. 6.*

EX . SERVIO

in Virg. Aen. lib. 1. & 3.

Caput aperire *ſolitus.) id eſt, nudare, & oſtendere. Afranius, Epiſtola, apud Nonium: Quis tu es, uentoſo in loco, ſoleatus, intempeſta noctu, ſub diuo, aperto capite, ſilicem cum findat* gelus? *Plinius lib. 28. cap. 6. Capita aperiri adſpectu magiſtratuum, non uenerationis cauſſa maiores iuſſere, ſed, ut, Varro auctor eſt, ualetudinis; quo firmiora conſuetudine ea fierent. Macrobius lib. 3. Cuſtoditur, ut omnes, aperto capite, ſacra faciant. hoc fit, ne quis in aede Dei habitum eius imitetur. nam ibi operto ipſe capite eſt. Varro Eumenidibus, apud Nonium, de improprijs, Capite operto eſſe iubet, ante lucem ſuſcitat,* frigore tor

ret,

ret, *uenatum eijcit, ieiunio uellicem. Quo in loco Farneſianus liber, Aperto, habet, non, Operto. De hoc more uidendus & Plutarchus in Sulla. Contra, Operire caput, apud Plautum, in Poenulo: Operire capita ne nos leno uiderit. Et apud Ciceronem, de Senectute. Nullo imbre, nullo frigore, adduci, ut capite operto ſit. &c.*

EX. NONIO

Apertum, i. nudatum.

Quib. de cauſſis Sullam in victoria dictatorem ſibi equo deſcendere, ſurgere de ſella, caput aperire *ſolitum.*

Surgere, i. erigi.

Sella ſurgere, *caput aperire ſolitum.*

EX. FRONTONE

Aſſurgo illi.

Sullam dictatorem uni ſibi deſcendere equo, aſſurgere *ſella, caput aperire ſolitum.*

EX. LIB. VI

*

Ex hoc libro nihil exstat.

*

EX. LIB. VII

*

Ex hoc libro nihil exstat.

*

EX. LIB. IIX

*

Ex hoc libro nihil exstat.

*

EX. LIB. IX

EX. NONIO
de numeris & casibus.

Cuius duas insulas propinquas inter se, & decem stadium procul a Gadibus, satis constabat suopte ingenio alimenta mortalib. gignere.) In Farnesiano libro haec ex XI. *adducuntur. Praeterea in eodem libro, verbum, Stadium, non legitur.*

Vltra nonum librum Sallustij fragmenta nulla reperimus.

*

INCERTA. SALLVSTII

EX. D. AVGVSTINO

de Ciu. Dei l. 2. c. 21

A Graccho *seditiones graues ortae.*

EX. LACTANTIO

lib. I. cap. XXI

Hanc totam opinionem, quasi a poetis fictam, Sallustius respuit: uoluitq. ingenioſe interpretari, cur altores Iouis dicantur Curetes *fuisse: & sic ait: Quia principes intelligendi diuina fuerunt, ne tustatem ut cetera in manus componentes, altores Iouis celebrauisse. Quantum errauerit homo eruditus, iam res ipsa declarat. si enim &c.*

lib. VI. cap. XIIX. & ex Nonio, Rabula;

& Quinctil. lib. XII. c. IX.

Caninam *facundiam, sicut Sallustius ab Appio dictum refert, exercuit.) D. Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum, de uiuendi forma: Qui pauperes sunt, & tenui substantiola, uidenturq. sibi scioli: pomparum ferculis similes procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam.*

EX. SVETONIO

de clar. gramm.

cap. XIV. de Lenaeo.

Pompeius, *oris improbi, animo inuerecundo.*

EX.

EX. QVINCTILIANO
lib. IIx. cap. III

"Patrare bellum. in Iug. 39: 64.

ibidem; & ex Carisio 4.

"Ductare exercitus. in Cat. 5. 7. in Iug. 47: 63.

ibidem.

Mithridates, corpore ingenti perinde armatus.

lib. IIx. cap. VI

Ad requisita naturae.

lib. Ix. cap. III

Non paeniturum,) *non acturo paenitentiam.*

Visuros) *ad uidendum.*

Vulgus amat fieri.) *in Iug. 46. Sumptum ex Thucydidi lib. 2. Plautus uero Condalio apud Varronem de l. Lat. l. VI. Tam crepusculo, ut amens lampadas accendere.*

EX. VICTORINO
in lib. I. Cic. de Inu.

* *Tyrannumq. & Cinnam appellantes.*

EX. GELLIO
lib. I. cap. XV. & ex Quinctiliano l. IV. c. 2. & ex D. Hieronymo aduersus Heluidium, de perpetua uirginitate B. Muriae

M. Atilius Palicanus, humili loco, Picens, loquax magis, quam facundus.) *Sumptum ex Eupolide, ait Gellius:* Λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.

lib. 2. cap. xxvii.

Sallustius, de Sertorio *duce, in historijs ita scripsit. Magna gloria tribunus mil. in Hispania Titidius imperator, magno usu, bello Marsico, paratu militum & armorum fuit; multaq. tum ductu eius, quae rapta primo per ignobilitatem, deinde per inuidiam scriptorum celebrata sunt: quae eminus faciem suam ostentabant, aliquot diuersis cicatricibus, & effosso oculo. quo ille dehonestamento corporis maxime laetabatur: neq. illis anxius, quia reliqua glorioſius retinebat.*) *sic in Catilina, 28. Aduersis uulneribus. & in Iugurtha, 69: Cicatrices, aduerso corpore. & Cicero, Cicatrices, aduerso corpore exceptas, ostendere. Et Q. Curtius* IX. *Multis aduerso corpore uulnerib. acceptis. Demosthenis uerba grauia, atq. illustria, de rege Philippo:* Εωρων δὲ αὐτὸν φρὸς ὃν ἡμῖν ὁ ἀγῶν, ὑπὲρ ἀρχῆς, καὶ δεινῶς ἐξεῖας τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομένον, τὴν κλεῖν κατεαγότα, τὴν χεῖρα, τὸ σκέλος πεπηρωμένον, πᾶν ὅτι ἂν βελπθῆ μέρος ἢ τύχη τοῦ σώματος παρειμένον, τοῦτο προϊέμενον, ὥστε τὸ λοιπὸν μετὰ τιμῆς, καὶ δόξης ζῆν.

EX. DONATO
in Ter. Eun. act. 3. sc. 2.

Haec (id est cicatrices) sunt uirtutis insignia: dehonestamento tamen esse corpori, maxime lactabatur.

ex Gellio, lib. IX cap. XII.

Postquam, remoto metu *Punico, simultates exercere uacuum fuit.* in Iug. 71. dempto metu, 91. i Cat. 4. 21.

lib. X. cap. VII

Proxima magnitudine Nihil est Istrum *flumen.) in Europa fluit.*

lib. X. cap. 21.

Nouissimus.

EX. SENECA

lib. XX. ep. CXV

Exercitum argento fecit) *idest, pecunia parauit. hoc Arruntius amare coepit. posuit illud omnib. paginis.* in Iug. 69.

ibidem.

Fugam *nostris* fecere. in Iug. 54.

ibidem.

Hiero, rex Syracusanorum, bellum fecit.

ibidem.

Quae audita *Panhormitanos* dedere *Romanis* fecere.) *Graece locutus; vt ad Cassium Cicero, fam. lib. XV ep. 18. Itaque, inquit, facio me alias res agere. Et lib. 2. de legibus, 196. Musica namq. & incitat languentes, & languere facit excitatos. sic enim est legendum, ex antiquis libris, in quibus, Languẽ facit, legitur; non, vt in vulgatis, Languefacit. Et in Lucullo, 24: Erant, qui illum gloriae caussa facerent sperare, etiam fore, vt ij, qui sequerentur, Antiochij uocarentur. Et Acad. l. 2.* in Iug. 71. insim

35: *Facias esse ei locum. sic enim emendat pater in scholijs suis, non, vt in uulgatis, Facile, ex antiquo libro. Et de Fin. l. IV. 127. Argumenti ratione concluſi, caput esse faciũt ea, quae perſpicua dicunt. Et de nat. de. l. I. 8. Plato facit mundum aedificari a Deo. Et 3. 78. Herculem Homerus conueniri apud inferos facit ab Vlyſſe. Et in libro, qui Ciceronis nomine inſcribitur, de opt. gen. Or. Iſocratem Plato in Phaedro laudari fecit a Socrate. Varro quoq. de re ruſt. lib. 3. cap. 4. Sextertiũ enim L X Fircellina excandere me fecerũt cupiditate. Quem Varronis locum ab ijs uideo corruptum, qui Latini ſermonis proprietatem, quae latiſſime patet ignorarunt.*

Et Caecilius apud Gellium lib. 2. cap. 23.

SENEX. *Is demum miſer eſt, qui aerumnam ſuam nequit*
Occultare. MA. Ferre ita meuxor forma, & factis facit.
Si taceam, tamen indicium eſt; quae, niſi dotem, omnia,
Quae nolis, habet: qui ſapit, de me diſcet, qui, quaſi
Ab hoſte captus, libere ſeruio, ſalue urbe, atq. arce.
Quae nihil quidquam placet, eo priuatum. Vin me ſeruatum.
Dum eius mortem inhio, egomet uiuo, mortuus.
Inter uiuos. ea me clam ſe cum mea ancilla ait
Conſuetum:

Consuetum: id me arguit: ita plorando, orando,
Instando, atq. obiurgando me obtudit, uti eam
Venumdarem: nunc credo inter suas aequales,
Et cognatas, sermonem serit. Quae ˣ*nostrum fuit* nostrarum
Integra aetatula, quae hoc itidem a uiro
Impetrari suo, quod ego anus modo
Effeci, pellice ut meum priuarem uirum.
Haec ertũ ˆ*cõcilia hodie: differor sermone miser.* consilia

Et apud eundem Sedigitus, lib. XV. cap. XXIV.

Multos incertos certare hanc rem ˣ*uidimus,* uidemus, Fuluij Vrsini liber.
Palmam poetae comico cui deferant:
Eum, me iudice, errorem dissoluam tibi: nihil
Ut, contra si quis sentiat, ˆ*nil sentiat.*
Caecilio palmam statuo de comico;
Plautus secundus facile exsuperat ceteros;
Dein Naeuius qui seruet, pretio in tertio est;
ˣ*Si quid quarto detur, dabitur Licinio;* si erit, quod Qu. F. l.
Post insequi Linium facio Atilium;
In sexto consequitur hos Terentius;
Turpilius septimum, Trabea octauum, obtinet;
Nono loco esse facile facio Luscium;
Decimum addo, antiquitatis caussa, Ennium.

Et Lucretius lib. V. -ignes,

Qui faciant solem certa desurgere parte.

Et Virgilius lib. ˈII.

Qui nati coram me cernere letum
Feciſti. -

Et Tibullus lib. I. eleg. 2.

Securum in tenebris me facit esse Venus.

Et in obsceno carmine, epigr. XXXI.

Collatas sibi quae, suisq. membris,
Formicas facit altiles uideri.

& epigr. LV.

Quae me terribilem facit uideri.

Et Nemesianus Cynegeticon.

Obuia Calliope facies insistere prato
Complacito, rudib. qua luceat orbita sulcis.

Macrobius quoq. lib. I.

Mense, inquit, Martio mercedes exsoluebant magistris; quas completus annus deberi fecit. Genus loquendi, a Graecis sumptum. dixit enim Demosthenes in oratione περὶ τοῦ στεφάνου: Τοῦτο τὸ ψήφισμα τὸν τότε περιστάντα τῇ πόλει κίνδυνον παρελθεῖν ἐποίησεν, ὥσπερ νέφος. *Et Plato in Cratylo:* Ποιήσειν ἀνόμολογεῖν, καὶ λέγειν. *Isocrates quoq. in Euagora,* Πολλοὺς, *inquit,* τῶν βασιλέων ποιήσεις τούτων τῶν διατριβῶν ἐπιθυμεῖν. *&* ἐν τῷ περὶ εἰρήνης: Αὐτοὶ πεποιήκατε τοὺς ῥήτορας μελετᾶν. *Sic & in antiqua inscriptio, quae adhuc Allifis exstat, his uerbis.*

L. FADIO. PIERO. II. VIRO MVNIFICENTISSIMO. CIVI QVI. OB. HONOREM. DECVR. EODEM. ANNO. QVO. FACTVS. EST GLAD. PARIA. XXX. ET. VENATIONE BESTIAR. AFRICANAR. ET. POST PAVCOS. MENSES. DVVM VIRAT SVO. ACCEPTIS. A. REP. HS. XMX. N. VENAT. PLENAS. ET. GLADIATORVM. PARIA. XX EDIDIT. ITEM. POST. ANNVM. LVDOS SCAENICOR. P. S. F. A. G. L. L. D. D. D

ibidem.

Aquis hiemantibus.) *Arruntius non desinit omnib. locis hoc uerbum insulcire.*

ibidem.

Inter arma ciuilia aequi boni famas petit.) Arruntius non temperauit, quin primo statim libro poneret.

de beneficijs lib. IV. cap. I

Ex omnibus, quae tractauimus, Aebuti Liberalis, potest uideri nihil tam necessarium, aut magis, vt ait Sallustius, cum cura dictum, *quam quod in manib. est.*

nat. quaest. lib. VII. cap. IIX

Turbinum motus uagus est, & dissectus & vt Sallustij uerbis utar, uerticosus; cometarum autem compositus, & destinatum iter carpens.

EX

lib. IX. cap. III

Quo cupidius in ore ducis sese quisq. bonum.) non dixit, In ore consulis.

lib. XI. cap. I

Simulans sibi aluum *purgari. in Seruio, haec eadem recitante, lib. Aen. 2. Simulans* aluum *purgare, legitur.*

lib. XIII. cap. XXI

Sallustius, auctor certissimus, asserit, Tigrim, et Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui, per diuersa euntes, longius diuiduntur, spatio medio dereliçto multorum millium. quae tamen terra, quae ab ipsis ambitur, Mesopotamia *dicitur.) Vibius quoq. Sequester in lib. de Flum. haec eadẽ recitans, sic ait: Sallustius, auctor certissimus, asserit, tam Tigris, quam Euphratis in Armenia fontes monstrari. Eadem recitat & D. Hieronymus, de locis Hebraicis.*

lib. XIII. cap. XIIX

& e Seruio in Virg. lib. III

Italiae olim Siciliam coniunctam fuisse: &, dum esset una tellus, medium spatium aut per humiditatem abruptum est aquis, aut per angustiam scissum, & inde Rhegium *nominatum, quia Graece abruptum hoc nomine nuncupatur.) in Seruio: Aut humiditate &c. aut propter angustiam. &c.*

lib. XIV. cap. VI

Sallustius dicit, Italiae coniunctam fuisse Siciliam, sed medium spatium, impetu maris, diuisum, &

per

per angustiam scissum.

lib. XIV. cap. I

& ex Seruio in Virg. Ge. 2.

Venti per caua terrae praecipitati: *rupti pti aliquot montes: tumuliq. sedere)* Verba Seruij uidentur indicare, legendum, Citati, non Praecipitati. dixit enim haec: Variae sunt opiniones. nam alij dicunt, Ventum esse in concauis terrae: qui motus etiam terram mouet. &c. A quo non uidetur dissentire Isidorus, cuius haec sunt: Terrae motum alij dicunt uentum esse in concauis eius; qui motus eam mouet.

lib. XIV. cap. VII

& ex Seruio in Virg. Aen. lib. III

Pelorum, *promontorium Siciliae, respiciens Aquilonem, secundum Sallustium dictum a gubernatore Hannibalis illic sepulto, qui fuerat occisus per ignorantiam regis, cum se eius dolo crederet esse deceptum.*

lib. XIIX cap. 2.

& ex Seruio in Virg. Aen. lib. XI

Sallustius duces laudat, qui uictoriam incruentato exercitu reportauerunt.) in Seruio, *Incruento exercitu deportarunt. Exercitu incruento, in Iug. 73.*

ibidem.

Hostes oppressi, *aut* dilapsi, *forent.*

lib. XIX. cap. XXIII.

Germani intectum rhenonib. *corpus tegunt.)* Ser-

uius

uius in Virg. Ge. lib. III. *ex Salluſtio haec recitat: Veſtes de pellib.* rhenones *uocantur.*

lib. XIX. cap. XXIV.

Togam paludamento mutauit.

EX PRISCIANO

lib. XIV.

Communem habitum tranſgreſſus. *) pro, ſuper-greſſus.*

ibidem.

Vbi multa nefande caſus ſuper *auſi, atq. paſſi.*

lib. XIIX.

In hunc *modum differuit) pro; Hoc modo. Vide in Iugurtha, 67: Ex Graeco conuerſum.*

EX NONIO

de mutata declinatione.

Exaudiriq. ſonus Bacchanaliorum.

Proximum *dicebant* ueteres, *non ſolum adhaerens, & adiunctum; uerum etiam longe remotum, ſi tamen inter duo diſcreta nihil medium exſtitiſſet.* Virg. Aen. lib. V.

Proximus *huic, longo ſed* proximus *interuallo Inſequitur. Salius.* Ita & Salluſtius in ſinu Ponti, *de promontoriis Paphlagonum, & quod χρὶν μέτωπον appellauit, poſuit.*

EX

EX. CARISIO

lib. I.

De pecore.

ibidem.

Merces') *nominatiuo casu, pro merx.* In Cat. 9. 16.

ibidem.

& ex Seruio in Virg. Ge. lib. III.

& ex Martiano l. 3. Rei gram.

de Analogia.

Coria, recens *detracta, quasi* glutino *adolescebant.*) *in Seruio, Velut i glut. &c. legitur.*

ibidem.

De insidia *prima.*

ibidem.

Necessitudo.) *pro, necessitas.*

ibidem.

Saguntium.

lib. II

Parare, arcere, facere, adire.) *pro, Parabant, Arcebant, Faciebant, Adibant.*

ibidem.

Sallustius lib. * *Fecit, vt nuncijs* confestim *lugubribus.*) *ubi Statilius Maximus, Ordine, inquit, & sine intermissione.*

ibidem.

Rumore primo.) *ubi Asper, Non est, inquit, nomen, sed aduerbium; vt illud,* * *Obstipuit primo adspectu Sidonia Dido.* Aen. lib. I.

EX. MARTIANO
lib. v. Rhetoricae, de Pedibus.

Tota autem insula modica, & cultib. inanis est.

EX. FRONTONE
Citius, siue celerius.

Illi tertio mense peruenere in Pontum, multo celerius *spe Mithridatis.) Sic locutus Caesar de bel. Gall.* 21: *& Hirtius de bello Alex.* 236: *Amplius opinione,* 54: *Asperius opinione,* 68.

Motus ab illo loco.

Neq. me diuersa pars in ciuilib. armis mouit *a uero.*

Immodicus huius.

Sic immodicus *animi.*

Inops illius rei.

Agitandi inops.

Pertinens in illum.

Vnde pons, in opidum pertinens, *explicatur.*

EX. ACRONE
& Porphyrione,
in Horatij od. 24. lib. III.

Scythae *Nomades tenent, in quib. plaustra sedes sunt.*

EX. ACRONE
in Horatij Art. Poet.

Sallustius in historijs nomen Danubium *habet.*

EX. DONATO

in Ter. Andr. act. 1. sc. 1.

Atq. edita undique, trib. tamen *cum muris, & magnis curribus.*

act. 1. sc. 2.

Haud *impigre*, neq. *inultus occiditur.*

act. 2. sc. 1.

Sed *Metellus in uulnere.) pro atque, eccum.*

act. 2. sc. 2.

Ergo senati *decreto seruiendum ne sit.*

act. 5. sc. 4.

Insolens *uera accipiendi.) insolitus, insuetus.*

ibidem.

Et ei uoce magna uehementer gratulabantur.

in Eun. act. 1. sc. 2.

Cui nisi pariter *obuiam iretur.)* 1. *similiter.*

ibidem, & act. 2. sc. 3.

Nihil socordia claudebat.

act. 3. sc. 2.

Quae pacta in conuentione *non praestitissent.*

ibidem.

Cuius ad uerba uoluntate, colloquio *militib. permisso, corruptio facta pastorum, & exercitus Sullae datus est.*

act. 4. sc. 3.

Festinantib. *in summa inopia patribus.*

act. 4. sc. 7.

Ne qua contumelia, *&c.*

ibidem

ibidem.

Et in proelijs actu promptus.) *forte, Manu pr.*

act. 5. sc. 2.

Vt tanta repente mutatio non sine deo *uideretur.*

act. 5. sc. 6.

Inde ortus sermo, per cunctantib. utrimque, Satin' salue, *quam grati ductb. suis, quantis familiaribus copijs ageretur,*

in Adelph. act. 1. sc. 2.

In ore *gentib. agens, populo, ciuitati.*

act. 3. sc. 2.

Pressi *undiq. multitudine.*

ibidem.

Neq. animo, neq. lingua satis compotem.) *cum de amente Septimio loqueretur.*

ibidem.

Hunc *igitur redarguit Tarquinius.*) *de scriptione Celtiberi.*

act. 3. sc. 4.

Post defectionem sociorum, *& Latij.*

act. 4. sc. 2.

Ad Iouis *mandem nostra.*

act. 1. sc. 2.

Quos, eadem *odisse*, *&* eadem *metuere, in unum coegit.*

act. 3. sc. 2.

Morbi graues *ob inediam insolitam uescentibus.*

act. 3. sc. 3.

Qua accidam, *aut quo?*) *in Iug.* 36.

ibidi act.

act. 4. sc. 1

Atq. ea cogentes, non coactos; scelestos *magis, quam* miseros, *distringi.*

act. 5. sc. 1

Grauiore *bello, qui prohibituri uenerant, socij, fri gere.) i. molestiore.*

in Phorm. act. 1. sc. 1.

Quae pecunia *ad Hispaniense bellum Metello* facta *erat.*

ibidem.

Si, Quirites, pacem existimaretis *) pro, aestimaretis.*

act. 1. sc. 2.

Cum praedixero positum *insulae.*

ibidem.

Non *repugnantib. modo, sed* ne *deditis quidem.*

ibidem.

Pactione amisso *Publio legato.*

act. 2. sc. 1.

Nam quidem Pyrrho, Hannibali, aequor, & terra.

act. 2. sc. 3.

Nulla re magis populus concitatur, quam si quis egenum *contemnat: inde & bonis inuident, & malos extollunt,* inquit Sallustius.

ibidem.

Nam Sullae dominationem *audebat. Et, interpositis quibusdam, Neque est offensus* dominatio nem *Sullae.*

INCERTA

EX. PHOCA

de uerbo 4. Coniug.

Quaefere.

EX DIOMEDE

lib. I. cap. IV

Noceri.

lib. 2. cap. 6.

In nuda iniecta corpora.

ibidem.

Maximis ducibus, fortibus, strenuisq. ministris.

ibidem, & ex Carisio lib. IV.

Ductabat *exercitum. Et*, Arrexit *animos militum.*

EX. AGRAETIO

de Orthogr.

Opprobrij gratia.

EX. PROBO

in Cathol.

Apollinis filia, & Cyrenes.

ibidem.

Bis. Curubis, *nomen ciuitatis, lectū in Sallustio.*

ibidem.

Hos *non inueni, nisi unum barbarum, numero semper plurali,* Tharrhos, *nomen ciuitatis, lectum in Sallustio.*

ibidem.

Sos *pura Latinum nullum reperi terminatum. unum Graecum legi in Sallustio secundae declinationis,*

tionis, Si, faciens in genitiuo, haec Camisos, *huius* Camisi.

EX. SERGIO
arte II

Legimus apud Sallustium, Paces, & Luces, *numero singulari.*

EX. SERVIO

At illi, quib. res incognita erat, ruere cuncti ad portas, incondita tenere.) al. quib. uires aderant. Ecl. 2.

Et Marius uictus duplicauerat *bellum.* ibidem.

Aristaeus, *post laniatum a canib. Actaeonem filium, matris instinctu, Thebis relictis, Coeam insulam hominib. uacuam tenuit primo, postea, ex ea cum Daedalo in Sardiniam iuit, deinde Cumas delatus est; &, templo Apollini condito, quaedam in forib. pinxit,) uide fragmentum* lib. V *apud Priscianum* lib. VI. Ge. 1. & Aen. VI

Tempectas) *pro tempore.* Ge. 1

Diu noctuq. *laborare, festinare.* Ge. 1

Tantum antiquitatis, *curaeq. maiorib. pro Italica gente fuit.* Ge. 2.

Cornua occanuerunt. Ge. 2.

Primam modo Iapydiam *ingressus.* Ge. 3.

Ne simplici *quidem morte moriebantur.* Ge. 3.

Adeo illis (*idest* Parthis) *ingenita est sanctitas regij nominis.* Ge. 4.

Celtiberi *se regib. deuouent, & post eos uitam refutant.* Ge. 4.

Exsules.) *idest, adhuc uagantes.* AEN. I

Crebritate fluctuum, *ut* Aquilo *solet.* Aen. I

A Troia Capys Campaniam, Helenus Macedoniam, alij Sardiniam, secundum Sallustium, occuparunt. AEN. I *Apud eundem uero, in eodem libro eadem recitantem, sic legitur: A Troia Capys Campaniam, Helenus Epirum, Antenor Venetiam, alij S, s. S, occup.*

Sall. paene ubiq. Labos *posuit. melius est seruire regulae.* Aen. I.

Cui nomen *Obliuionis condiderant.* Aen. I.

Hispaniam antiquam sibi patriam *esse.* Aen. I. *& 3.*

Currib. *falcatis usi antiqui.* Aen. I

Apud latera certos *locauerat.*) *idest, firmos.* Aen. I

Neu *quis miles, ne ue* pro milite:) *al. Neu quis miles, siue pro milite,* AEN. II.

Ipse ab ijs omnes euocatos, *& centuriones.* Aen. 2.

Reb. supra uotum fluentibus. Aen. 2.

in Iug. 47: *Foedantem lumen.) *al. Foedauere. de nubibus.* Aen. 2.

Dardania, *a Dardano, Iouis, & Electrae filio; aut, secundum Sallustium, a Mida, Dardanorum rege, qui Phrygiam tenuit.* Aen. 2.

Carbo, turpi formidine, *Italiam, atq. exercitum,*

tum, deseruit. Aen. 2.

Per uicissitudines *pugnabatur.*) al. *Per uicissitudinem p.* Aen. 2.

Aenum, *& Maroneam, & uiam militarem.* AEN. III.

Cretenses, *teste Sallustio, primo religionem inuenerunt: unde apud eos natus fingitur Iuppiter.* Aen. 3. & IIX.) *Legendum puto, Primi, pro, Primo.*

Graecia, procul a continenti. Aen. 3.

Impediebant iussa *nautarum.* Aen. 3.

Omnis Italia, coacta in angustias, scinditur in duo promontoria, Bruttium, & Salentinum. Aen. 3.

Scylla, *saxum, similis formae celebratae procul uisentibus.* Aen. 3.

Charybdis, *secundum Sallustium, circa Tauromenitanum egerit litus.* Aen. 3.

Italia, *plana, ac mollis.* Aen. 3.

Vnde hic tulit colorem, speciem efficit Scythici arcus. Aen. 3.

Orthus *in Creta, secundum Sallustium; unde Othij campi dicuntur.* Aen. 3.

Qua tempestate ex Ponto uis *piscium erumpit:*) *ideſt, multitudo. al. Secunda temp. &c.* AEN. IV

Ibi triennio frustra trito. Aen. 4.

Piget, pudet: Aen. 4. *Ter. Adelph. a. 3. s.* 4. 95. *Et Plaut. Trin.* 262: in oratione Philippi, 87.

Igitur introrsus *prima Asiae Bithynia est, mul-*

tis ante nominib. appellata. ipsa enim est maior Phrygia. Aen. v

Sed Mithridates, extrema pueritia *regnum ingressus, matre sua ueneno interfecta.* Aen. 5.

Exercitium uertere.) *idest, considerare. al. Exercitum.* Aen. 5.

Serum *bellum in angustijs committitur.*) *idest, graue.* Aen. 5.

Serum *bellum in angustijs futurum.* Aen. 6. & XII

Orion, *secundum Sallustium, oritur iuxta solis aestiui pulsum.* Aen. 5.

Elysium, *insulae fortunatae, quas ait Sallustius inclutas esse.* Aen. 5.

Parte conditor *orbis terrarum.* Aen. VII

Mysios *a Lucullo superatos.* Aen. 7.

Lucani de uimine facta scuta *corijs tegebant.* Aen. 7.

Geryonis. Aen. 7.

Calae *(in Gallia) Perperna cepit.* Aen. 7.

Ita, quam *quisq. pessime facit*, tam *maxime iutus est.* Aen. 7.

Fessus *(animo) in Pamphyliam se receperat.* Aen. IIX

Tenere) *militare uerbum.* Aen. 8.

Cares insulani *populi fuerunt, piraticam exercentes, famosi, uicti a Minoe, ut Thucydides, & Sallustius dicunt.* Aen. 8.

Ceterum studia nostra, sicuti animae, immortalia *sunt.*

sunt. AEN. IX

Sall. de Philippo: *Qui* aetate, & consilio, ceteros *anteibat*. Aen. 9. *)uide fragmentum apud Frontonem, lib.* IV. *hist.*

Et insolentia auidius *malefaciendi*. Aen. 9.

Tergis *uinciebant*) *pro, tergoribus*. Aen. 9.

In modum hirci *militaris*) *uide fragmen. lib. 3. apud Non. de gen. arm.* Aen. 9.

Multos a pueritia bonos insultauerat. Aen. 9.

Multos ab adolescentia bonos insultauerat.) *irriserat, impetum fecerat*. Aen. x

Multos tamen ab adolescentia bonos insultauit. Donat. in Ter. Eun. act. 2. sc. 2.

Regressi ad faciliores ictus, [x] *loco cedebant*. Aen. IX in Cat. 4.

Ante, quam dicatur sententia, praemittitur ratio.) *quod hodie in usu est*. AEN. X

Cosa.) *ciuitas Tusciae, numero singulari*. Aen. x

Hispanorum est, vt in bella euntib. iuuenib. parentum facta *memorarentur a matrib.* Aen. x

Pugnam illam pro omine belli *futuram*. Aen. x.

Sed.) *inceptiua particula*. Aen. & ex Donato Andr. act. 2. sc. 1. & Phorm. act. 1. sc. 4.

Equo, atq. armis insignibus. Aen. x

Sic est apud Poetas; Interea, *sicut apud Sallustium*, Eodem tempore. Aen. x

Sall. de Pompeio: *Deuictis Hispanis*, trophaea *in* in Cat. 21:

Pyrenaeis iugis constituit. AEN. XI

Senecta *iam aetate*. Aen. XI.

Castra *sine uulnere introitum*.) *Castra, accusatiuus pluralis est; qui multis errorem facit, ut uideatur esse nominatiuus; quia neutra triptota sunt, & similis est nominatiuus accusatiuo.* Aen. X

Et Mexello procul a gente longa *spes auxiliorum.*) *idest, longe posita*. Aen. XI.

More equestris proelij sumptis *tergis, atq.* redditis) *al. Ac redditis.* Aen. XI.

Dein campi Threicei, *quos habuere Amazones, a Tanai fluuio incertum quamobrem digressae.*) *al. Dein campi Threissi, quos habuerunt Amazones, ab flumine incertum quam ob caussam digressae*. Aen. XI

Equis paria operimenta erant: quae lintea ferreis laminis in modum plumae adnexuerant. Aen. XI

Vbiq. dux praecipit, ut frequenter circa se sint milites. Aen. XI

Prima *qui forte uenientes exciperent*) *al. Exciperet. cum de insidijs loqueretur; quas numeri pluralis tantum esse, plusquam manifestum est*. Aen. XI

Tale est illud Sallustianum: Mare *Ponticum* dulcius, *quam* cetera.) *cum nullum dulce sit. al. M. P. d. est,* quam *cetera maria*. AEN. XII. & ex Macrobio lib. VII. & Prisciano lib. XV. *Hier. de locis Hebr. Mare Ponticum, propter plurimam*

plurimam ostiorum Danubij infusionem, dulcis ceteris esse dignoscitur.

Dum *paullatim suis inuicem subueniant. omnes enim in bellum* coacti *sunt.* Aen. XII

Sall. de fugitiuis: In silua Sylua *fuerunt.* Aen. XII

Sall. de Appio: ubi eum tota in concione ab exercitu cogit discedere, dicit, se eius opera non usurum, eumq. ab armis dimittit. Aen. XII

EX. RVFINIANO

Atq. eos a tergo incurrerunt. de schem. Lexeos. de schem. dianoeas.

Vt apud Sallustium, de Sullae crudelitate.

Plutarchus *etiam Sallustij testimonio utitur. cuius uerba recitanda non putauimus; quia ex Graecis illius uerbis, quae fuerint Latina Sallustij, diuinare, difficile est.*

FINIS

ALDI . MANVTII
PAVLLI . F
SCHOLIA

1.a. CETERIS animantibus.) *Scripti omnes libri, quos quidem ego uiderim, Animalibus. quo modo &* Sosipater Carisius recitat lib.1.in uerbo, Omnes: & Diomedes.

1.a. VELVTI pecora, quae Natura prona, atq. uentri obedientia, finxit.] Ouidius Met.1

Pronaq. cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, caelumq. uidere
Iussit, & erectos ad sidera tollere uultus. Vide Cic. de Leg. lib.1.& de Nat.de l.2. Naturam, inquit, nos celsos, & rectos constituisse, ut deor. cognitionem, caelū intuētes, capere possemus. Nec dissēcit Plato in Cratylo.

1.a SED nostra omnis uisi, animo, & corpore, sita est.] Cicero de Fin.l.v. Homo e corpore, animoq. constat: cum primae sint animi partes; secundae corporis.

1.a SVA cuiq. satis placebant.) Lucr.l.2.

– sua cuiq. uoluntas. Principium dat: &c.

Cicero ad Att. lib. XIV.

Sua cuiq. sponsa.

Virgilius, ecl. 2.

Trahit sua quemq. uoluptas.

Terentius, Phorm.a.2.s.4.

Quot homines, tot sententiae.

Idem, ibidem.

Suus cuiq. mos est.

Persius Sat. 5. Mille hominum species, & rerum discoloru sus.

Velle suum cuiq. est, nec uoto uiuitur uno.

Statius l.2.Sil.2.Sua cuiq. uoluptas.

Plin. epist.lib.1. Varia sunt hominum iudicia, uariae uoluntates.

1.a. PRIVS, quā incipias, consulto; &, ubi cōsulueris, mature facto opus est.) *a Graecis multa* Sallustius *mutuatur. quod &* Quinctilianus lib.IX. cap. III. affirmat. Demosthenes quidem, oratione 1.in Philippum sic:

9.b. FLAGITIIS, atq. facinoribus, coopertus.) *putarem pro Facinoribus, legendum Fenoribus: tum quod ita legit* Gellius lib. 1. & IV. cap. XVI 1. *tum etiam quod, cum dixerit, Flagitijs ſuperuacaneum, uidetur, Facinoribus. uerum* Nonij *me* auctoritas *a mutatione deterret. nam* in uerbo Facinus *hunc locum recitat. Praeterea differunt omnino Facinora a Flagitijs: nam et Facinus interdum bonum eſt; &, cum eſt malum, maius habet quiddam, quam Flagitium.* Idem Salluſtius ſupra, 5: Omnium flagitiorum, atq. facinorum, circum ſe, tamquam ſtipatorum, cateruas habebat. *(ſic enim habent* omnes, *quos uidi*, ueteres libri. unus Fuluij, *quaſi erraſſet librarius in ſcribendo, litteris ſuperſcriptis habet, Flagitioſorum, atq. facinoroſorum.)* Et ibidem: Alienum aes grande cõflauerat: quo flagitium, aut facinus, redimeret. Et infra, 14: Omnes, quos flagitium, aut facinus, domo expulerat. Item, ad C. Caeſarem de rep. ordinanda, 100: Non facinus, non probrum, aut flagitium, obſtat,

quo minus &c. Et ibidem, 103. An L. Domitij magna uis est, cuius nullum membrum a flagitio, aut facinore, uacat. Item, 105: Non flagitium a te, neq. malum facinus, petimus, sed uti libertatem euersam restituas. Flagitiosissima quoq. facinora appellat, in Iugurtha, 45: Plurima, & flagitiosissima facinora fecere.

9. b. ERAT ei cum Fuluia, muliere nobili, stupri uetus consuetudo.) Terentius Adelph. act. 4. sc. 5. Quicum illa consueuit prius. Hecyra: Quicum tot consuesset annos. Phormione: Cum eius consueuit olim matre in Lemno clanculum. Plautus Cistellaria: Enumquam cum quiquam uiro consueuisti?

10. a. VIRO, ac liberis, satis fortunata.) *Sustuli particulam Ac, testimonio* Frontonis *adductus. Amator autem breuitatis* Sallustius *huiusmodi particulas saepe respuit. Eodem modo* proxime *legendum uidetur, Psallere, Saltare; non, ut est* in uulgatis libris, *Psallere, & saltare. in quo* Macrobij *auctoritate nitor, quem uideo ita legisse* lib. III. cap. XIV

10. a. PSALLERE, *& saltare.*) *etsi* quidam libri *habent, Psallere, & cantare*; & Cicero, oratione 2. in Catilinam, dixerit, Pueri tam lapidi, ac delicati, non solum amare, & amari, neq. cantare, & psallere, sed etiam sicas uibrare, & spagere uenena, didicerunt. & Suetonius in Tito, Ne musicae quidem rudis, ut qui cantaret, & psalleret iucunde, scienterque. & Spartianus in Hadriano, Psallendi, & cantandi scientiam praestrebat: *tamen sequor libentius* antiquissimum Fuluij librum, *in quo diserte scriptum uideo, Psallere, & saltare; nam, Psallere, non idem est, quod, Saltare; sed potius, fidib. canere, itaq. dixit* Gellius, lib. XIX. cap. IX. Desiderauit exhiberi, quos habere eum sciebat scitissimos utriusq. sexus, qui canerent uoce, & qui psallerent. Non *enim necesse erat dicere*, Canerent uoce, *nisi & in uerbo*, Psalleret, *cantus inesset. itaque, ut, distingueret, dixit,*

dixit, Canerent uoce. *Praeterea Psaltriam, & Fidicinam, aeq. dici, non ignoramus: &* apud Graecos ψάλλω, *pro canto*; ψαλμὸς *pro, cantu, accipitur. Addo* Macrobij testimonium, *qui* lib. 3. *Saltare agnoscit* in Sallustio. ait enim sic: Taceo, quod matronae etiam saltationem non inhonestam putabant: sed inter probas quoq. earum erat saltandi cura, dummodo non curiosa, usq. ad artis perfectionem. quid enim ait Sallustius, Psallere, saltare, elegantius, quam necesse est probae? adeo & ipse Semproniam reprehendit, non quod saltare, sed quod optime, scierit. Et Seruius, in Virg. Aen. lib. 1. & 4. citat ex Sallustio: Saltare elegantius, quam necesse est probae. Quod, ut uitium, notauit Aemilius Probus in Epaminondae uita: Scimus, inquit, musicen nostris morib. abesse a principis persona; saltare, etiam in uitijs poni. quae omnia apud Graecos & grata, & laude digna ducuntur. Et Cicero agnoscere *uidetur in Curionis incessu fidicinae mollitiem, cum dixit* in oratione in ipsum, & Clodium, cuius haec uerba recitant Nonius, & Rufinianus: Tu uero festiuus, tu elegans, tu solus urbanus; quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae, qui laeuare uultum, mollire uocem, potes.

13. a. MAIORE uestrum.) *Vestrum, reposui, pro, Nostri, quod ita* Apollinarem apud Gellium *legisse cognouissem.* is enim sic, lib. xx. cap. v. Importunissime fecerunt, qui in plerisq. Sallustij exemplarib. scripturam istam sinceriſſimam corruperunt. nam, cum ita in Catilina scriptum esset, Saepe maiores uestrum miseriti plebis R. Vestrum aboleuerunt; &, Vestri, superscripserunt: ex quo in plures libros mendae istius indoles inoleuit.

13. a. ARGENTVM aere solutum est.) *patet sententia: & ita recitat* Nonius in uerbo, Soluo, *Praeterea sic est* in perantiquo Fuluij libro. nonnulli *tamen ex*

ALDI . MANVTII
PAVLLI . F
SCHOLIA

1.a. CETERIS animantibus.) *Scripti omnes libri, quos quidem ego uiderim, Animalibus. quo modo &* Sosipater Carisius recitat lib.1.in uerbo, Omnes: & Diomedes.

1.a. VELVTI pecora, quae Natura prona, atq. uentri obedientia, finxit.] Ouidius Met.1

Pronaq. cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, caelumq. uidere
Iussit, & erectos ad sidera tollere uultus. Vide Cic. de Leg. lib.1.& de Nat.de l.2. Naturam, inquit, nos celsos, & rectos constituisse, ut deor. cognitionem, caelū intuētes, capere possemus. Nec dissētit Plato in Cratylo.

1.a SED nostra omnis uis i, animo, & corpore, sita est.] Cicero de Fin. l.v. Homo e corpore, animoq. constat: cum primae sint animi partes; secundae corporis.

1.a SVA cuiq. satis placebant.) Lucr. l.2.

- sua cuiq. uoluntas. Principium dat: &c.

Cicero ad Att. lib. XIV.

Sua cuiq. sponsa.

Virgilius, ecl. 2.

Trahit sua quemq. uoluptas.

Terentius, Phorm.a.2.s.4.

Quot homines, tot sententiae.

Idem, ibidem.

Suus cuiq. mos est.

Persius Sat. 5. Mille hominum species, & rerum discolor usus.

Velle suum cuiq. est, nec uoto uiuitur uno.

Statius l. 2. Sil. 2. Sua cuiq. uoluptas.

Plin. epist. lib. 1. Varia sunt hominum iudicia, uariae uoluntates.

1.a. PRIVS, quā incipias, consulto; &, ubi cōsulueris, mature facto opus est.) *a Graecis multa* Sallustius *mutuatur. quod &* Quinctilianus lib. IX. cap. III. affirmat. Demosthenes quidem, oratione 1. in Philippum sic:

Δεῖ μὲν βουλεύεσθαι ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς. Et in oratione de pace. Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πάντες ἄνθρωποι πρὸ τῆς πραγμάτων εἰώθασι χεῖσθαι τῷ βουλεύεσθαι, ὑμεῖς δὲ μετὰ τὰ πράγματα. Et Isocrates, πρὸς Δημόνικον: Βουλεύου μὲν βραδέως, ὅταν τέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα. Et Aristoteles Moralium Eudaemiorum v. & Nicomachiorum vi. Καὶ φασὶν, πράττειν μὲν δεῖν ταχὺ τὰ δόξαντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως. Diogenes quoq. Laertius, in Biante: Βραδέως ἐγχείρει τοῖς πραττομένοις, ὃ δ' ἂν ἕλῃ βεβαίως τηρῶν διαμένει. *Quo respexisse puto* Aemilium Probum, cum diceret, in Datami uita: *Neq. acutius ullius imperatoris cogitatum, neq. celerius factum, usquam legimus.*

1.a. TVM demum periculo, atq. negotijs, compertum est.] Apud Nonium, in uerbo, Periculum, *Tunc uero peric. &c. legitur.*

2.b. PLERIQVE, quae delicta reprehenderis, maleuolentia, & inuidia, dicta putant: ubi de magna uirtute, atq. gloria bonorum memores; quae sibi quisq. facilia factu putat, aequo animo accipit; supra ea, ueluti ficta pro falsis ducit.] Thucydides ἐν τῷ ἐπιταφίῳ λόγῳ τῷ Περικλέους. Ὅ, τε γὰρ ξυνειδὼς καὶ ἄνευ ἀκροατοῦ τάχ' ἄν τι ἐνδεεστέρως πρὸς ἃ βούλεταί τε καὶ ἔπισταται νομισθείη δηλοῦσθαι: ὁ, τε ἄπειρος, ἔστιν ἃ καὶ πλεονάζεσθαι διὰ φθόνον, εἴ τι ὑπὲρ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἀκούει. μέχρι γὰρ τοῦδε ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοι εἰσὶ περὶ ἑτέρων λεγόμενοι, ἐς ὅσον ἄν καὶ αὐτὸς ἕκαστος οἴηται ἱκανός τι δρᾶσαί τι, ὧν ἤκουσε: τῷ δ' ὑπερβάλλοντι, αὐτῆς φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν.

Hunc autem Sallustij locum Gellius recitat lib. 4. cap. xv. *in quo quaedam diuersa leguntur a lectione impressa.*

2.a. STATVI res gestas populi R. carptim perscribere.] *in libris, quos* Nonius *secutus est, uideo scriptum fuisse, Strictim, non Carptim. recitat enim hunc locum in*

uerbo,

uerbo, Strictim.

2.b. QVAM ueriſſime potero] Fabius Victorinus in librum 1. Cic. de Inuentione, *haec recitans*, Quambreuiſſime, legit.

3.a. INVIDIA ex opulentia orta eſt.] Xenophon, Cyri Paedia lib. 7. Ὅταν πλείοσα τις ἔχα, τότε πλείονοι καὶ φθονῶσι, καὶ ἐπιβουλεύωσι, καὶ πολέμιοι γίγνονται. Et apud Stobaeum: Τοῖς μὲν διὰ τὴν ἰλίκης πορευομένοις ἕπεται κατ' ἀνάγκην σκιά, τοῖς δὲ διὰ τῆς δόξης βαδίζουσιν ἀκόλουθος φθόνος.

2.a. MAGIS Q. dandis, quam accipiendis, beneficijs amicitias parabant.] *hoc uidetur ſumpſiſſe a familiari ſuo* Thucydide, cuius haec ſunt ἐν τῷ ἐπιταφίῳ λόγῳ τῷ Περικλέους: Οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους. *Idem infra ſimilem in ſententiam incurrit*, in Iugurtha, 75. Beneficia dare, inuitus accipere.

3.a. QVOD initio conſeruandae libertatis, atq. augendae reip. fuerat.] *Ne quis putet mendoſum eſſe locum, notãdum exiſtimaui*, locutionem *eſſe* Salluſtianam, *qua &* alibi *uſus eſt*, ut 17: Poenam illorum ſibi oneri, impunitatẽ perdundae reip. fore credebat. Et lib. 1. hiſtoriarum, in oratione Lepidi, 84. a. Omnia retinendae dominationis honeſta aeſtimat. Et eodem libro, in oratione Philippi, 86. a. Exercitum opprimẽdae libertatis habet. Et ibidẽ, 86. b. Priuata arma opprimendae libertatis cepit. Itẽ, 87. a. Arma ciuilia cepit, legũ, ac libertatis ſubuertendae. Terentius quoq. in Adelphis: Ne id aſſentandi magis, quam quod gratum habeam, facere exiſtumes. *De hoc loquendi genere*, uide Priſc. lib. XIIX

3. a. IN ſuperbiam, dominationẽq. ſe conuertit.) *dictionem*, Se, *ſuſtuli, tamquam inanem: nec tamen a me ueterem librum diſſentire uideo: cum quo facit idem Salluſtius, qui hoc loquendi genere* alibi *quoq. uſus eſt*. 24. a. Nae iſta uobis manſuetudo, & miſericordia, ſi illi arma ceperint, in miſeriam uertet. 68. a. Beneface-

re

re iam ex consuetudine in naturam uertit. 84. a. Secundae res in miserationem ex ira uertunt. Alij quoque. Cicero: Sed hoc uitium in bonum ei uertebat. Cor. Tacitus III. Postquam caedib. saeuitum, & magnitudo famae exitio erat, ceteri ad sapientiora conuertere. Idem alibi: Clam cum paucis ad pedites conuertit. Caesar l. 3. bel. ci. Detrimentum in bonum uerteret. Liu. l. x. Auspicia in bonum uerterunt. Et l. 39. Haec in perniciem adolescenti uerterunt. Virg. 3. Ge.

Et totae solidam in glaciem uertere lacunae...

Tacitus: Astusq. hostium in perniciem ipsis uertebat. Idem: Seu temere lapsa uox in praesagium uertit. Liuius: Verteratq. Scipionum inuidia in praetorem. Idem: In perniciem adolescenti uerterunt. Idem l. 9. dec. 4. Mores quidem populi R. quantum mutauerint, uel hic dies argumento erit. *pro, mutati sint.* Et 8. belli Punici 2. Non septies die, sicuti fama fert, temporib. statutis reciprocat. *pro, reciprocatur.* Suet. Quoties terra in urbe mouisset: *pro, mota esset.* Virg. Nox humida caelo Praecipitat. Idem, Ingeminant austri. Gellius etiam lib. 1. cap. 13. Si res, inquit, forte melius uertisset, dijs quidem gratia habenda. Liuius autem l. 2. ab V. C. *eclipsin faciens pronominis, Se, sic ait:* Secuti, dedita opera, passim, ad illecebras propulsa pecora, praecipitauere in insidiass. Et Virgilius, Accingunt omnes operi: Et, Tum prora auertit. *Vt facile adducar assentire ijs, qui* Curtij locum lib. 7. *mutant, proq. Vertitur, Vertit, legunt. In eo sic est:* Posteaquam desierat esse, quem odissent, inuidia in misericordiam uertitur. Vide quoq. Gellium, noctium Atticarum lib. XIIX. cap. XII

3. b. MEMORARE possem, quib. in locis ingentes hostium copias populus R. parua manu fuderit.) sic infra, 24: Sciebam, saepenumero parua manu cum magnis legionib. hostium contendisse. & in Iugurtha,

80: Saepe

80: Saepe antè a paucis ſtrenuis aduerſus multitudinem bene pugnatum.

4. a IVS, bonumq. apud eos non legib. magis, quam natura, ualebat.) uide D. Aug. de Ciu. Dei lib. 2. cap. 18.

4. a VINDICATVM eſt in eos, qui contra imperiũ in hoſtem pugnauerant.) *Manlium Torquatum intelligit.* de quo ſic 24. Apud maiores noſtros A. Manlius Torquatus bello Gallico filium ſuum, quod is contra imperium in hoſtem pugnauerat, necari iuſſit. Et Porcius Latro in declamatione in Catilinam, 114:

4. a. ACCEPTA iniuria, ignoſcere, quam perſequi, malebant.) Cicero Tuſc. v. 172. Accipere, quam facere, praeſtat iniuriam. *Quam ſententiam uidetur ſumpſiſſe* ex Platone in Gorgia, cuius haec ſunt: Οὐ νόμῳ μόνον ὄζὶν αἴχιον, τὸ ἀδικεῖν τῦ ἀδικεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ φύσει. 4. a. ACCEPTA iniuria, ignoſcere, quam perſequi, malebant.): Sic infra, 20. Magis, quod ſe dignum foret, quam quod in illos iure fieri poſſet, quaerebant. Sic D. Auguſtinus ep. 5. ad Marcellinum, de *urbe Roma loquens*. Dignum eſſet exſurgere ciuitatem, quae tot gentib. imperitaret, quod, accepta iniuria, ignoſcere, quam perſequi, malebant.

4. b. DEOS negligere, omnia uenalia habere.) Theucydides lib. 2. Χρήμασι ὑ νικωμένε τὰ σύμπαντα τότε ἐνὸς ἂν πολοῖτο.

4. b. AMBITIO multos mortales falſos fieri ſubegit.) Seruius, *recitans hunc locum*, in 1. Virg. Georgicon. librum, *Coegit, non Subegit, uidetur legiſſe.*

4. b. ALIVD clauſum in pectore, aliud promptum in lingua, habere.) Sic Coelius *de Pompeio*, fam. lib. 8. ep. 1. Quam orationem habuerit tecum, quamq. oſtenderit uoluntatem, (ſolet enim aliud ſentire, & loqui; neq. tamen tantum ualere ingenio, ut non appareat, quid ſentiat) fac mihi perſcribas.

Et

Et Ter. Eun. act. 4. sc. 4. 44: Modo ait, modo negat. Homerus etiam, lib. IIX. Iliados.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃσι ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάξει.

4. b. AMICITIAS, inimicitiasq. non ex re, sed ex commodo, aestimare.) Fronto *haec recitat* in uerbo, Aestimo, *omissa copula*, Que. *Quae licet parua sint, nec ad sententiam quidquam afferant, notanda tamen censui.*

4. b. VBI contagio, quasi pestilentia, inuasit, ciuitas immutata.) *uidetur* Carisius *haec recitare* ex primo historiarum. eius enim sunt uerba lib. I. Contagium ueteres magis usurpauerunt: sed Sallustius Contagionem maluit dicere primo: Vbi contagio &c. *Eadem uerba recitat &* Nonius Marcellus, ex Sallustio, *nec tamen locum nominat.*

4. b. PROPIVS uirtuti.) *Virtutem, scriptum est* apud Frontonem, *qui haec recitat* in, Propius; & Priscianum, lib. XIIX. *quamuis* Augustinus, *Virtuti, uidetur legisse: nisi sint mendosi codices. & sane sic* idem Sallustius *locutus* in Iugurtha, 33. Propius mare Africum agitabant. Item, 52: Propior montem cum equitatu, & peditib. delectis, suos collocat. *Quamquam* in Fuluii Vrsini libro, *litteris superscriptis, legitur, Monti: cum antea tamen fuisset, Montem.* Et Liuius IV. Propius est fidem, obstringi Fidenatium populum conscientia tanti sceleris uoluisse: *id est, uerisimilius est.*

4. b. AVARITIA pecuniae studium habet. *&c.*) Cato in libro inscripto, Carmen, de moribus, apud Gell. lib. XI. cap. 2. Auaritiam, inquit, omnia uitia habere putabant, uide Gell. lib. 3. cap. I.

5. a. QVIPPE secundae res sapientium animos fatigant: ne illi, corruptis moribus, uictoriae temperarent.) Sic Demosthenes in oratione contra Leptinem: Ἀλλ' οἶμαι τι μέλλον ἄδηλον πᾶσιν ἀνθρώποις

καὶ μικροὶ καιροὶ μεγάλων πραγμάτων αἴτιοι γίνονται. διὸ δεῖ μετριάξειν ἐν ταῖς εὐπραξίαις καὶ προορωμένους τὸ μέλλον φαίνεται. Sic & Trebellius Pollio in Claudij uita: Pleriq. milites Claudij, ſecundis reb. elati, quae ſapientium quoq. animos fatigant, ita in praedam uerſi ſunt. &c. Et D. Aug. de Ciu. Dei, lib. XVII. cap. xx. de Salomone loquens; Hic, inquit, bonis initijs malos exitus habuit. quippe ſecundae res, quae ſapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt, quam profuit ipſa ſapientia, etiamnunc, & deinceps memorabilis, & tunc longe lateq. laudata. *Ne autem*, pro, *Nedum, poſitum eſt*: ut ait Priſcianus lib. XVI. *quam uis* idem ſuper XII. uerſus Aen. *Nedum legat. quo modo locutus quoq.* Plautus: Vix incedo inanis, ne ire poſſe cum onere exiſtumes. Et Liuius 3. Nouam, inexpertamq. eam poteſtatem eripuere patrib. noſtris. ne nunc, dulcedine ſemel capti, ferrent deſiderium. *Et, Temperarent, pro Obtemperarent: quo modo* Corn. Tacitus, XIX. Qui nuper Bebriaci uictoriae temperaſſent. *Non enim aſſentior uel* Auguſtino, *uel* Priſciano, *qui, Obtemperaſſent, legunt; uel* antiquiſſimo Fuluij Vrſini libro, *eruditiſſimi hominis, Graecarumq. litterarum ualde periti: in quo tamen, Ob, additum patet in ſpatio, quod uerſus dirimit, aliena manu.*

5. a. PVDOREM, pudicitiam.) *hic addunt* quidam ſcripti libri, *Pro nihilo haberi. ſed prior lectio ferri poteſt. habet enim nec obſcuram, & ſatis commodam ſententiam.*

5. b. A PRIVATIS complurib. ſubuerſos montes, maria conſtructa, eſſe.) *Conſtrata*, Fuluij Vrſini liber. *impreſſam tamen lectionem magis probo. dixit enim* idem Salluſtius infra, 8. b. Diuitias profundere in exſtruēdo mari, & montib. coaequandis. *Vide Plin. lib. IX. cap. 54.*

6. a. SIMILIS Q. ceteris efficiebatur.) in Fron

tone, *haec recitante* in uerbo, Similis, *omissa est copula*, Que. *& sane absque sententiae detrimento abesse potest.*

6. a. NEFANDA *stupra.*) *quippe qui adulterium commisisset cum ea, quae ei postea socrus fuit, & ex eo stupro duxisset uxorem, cum filia eius esset:* Lucceiusq. *haec ei obiecisset* in orationibus, quas in eum scripsit, ut ait Pedianus. *qui hoc addit, se nondum harum mulierum nomina inuenisse.* Eiusdem Pediani ibidem uerba sunt haec: Fabia, uirgo Vestalis, caussam incesti dixerat, cum ei Catilina obijceretur: eratq. absoluta haec Fabia, quia soror erat Terentiae Ciceronis. Paulus quoq. Orosius: Eodem anno apud Romanos Catilina accusatus incesti, quod cum Fabia, uirgine Vestali, stuprum commisisse arguebatur. Idem tradit Plutarchus, in Catone. Cicero autem: Quod nefarium stuprum non per illum &c. Item, Stuprorum, & scelerum exercitatione assuefactus.

6. a. NEGATO filio.) *ueneno*: Vide Valerium lib. ix. cap. 1. Appianum lib. 2. & Plut. in Cicerone, & Sulla.

6. b. COLOR eius exsanguis.) Probus in Catholicis, *recitans hunc locum, affirmat hic legi debere*, Colos. Seruius in Virg. Aen. 1. sic ait: Sallustius paene ubique Labos posuit. melius est seruire regulae.

7. a. INCERTA pro certis.) sic, 8. a. Per ignauiam, aut uana ingenia, incerta pro certis captare. Et 16. a. Pro incerta spe certa praemia. Et 67. a. Quamquam opib. suis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare. Item Plautus in Pseud. Certa amittimus, dum incerta petimus. Et Hesiodus: Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκει.

7. b. INFESTVM inimicum Cn. Pompeio.) *Infestum, pro Acrem, dicere potuit* Sallustius. *Interdum tamen*

men ſuſpicatus ſum, Inimicum, gloſſema fuiſſe ad, Infeſtum. quo uitij genere refertos eſſe libros animaduerti.

9.b. HVMANI corporis ſanguinem, uino permixtum, in pateris circumtuliſſe.) *hac de re* Florus ſic lib. 4. cap. 1. Additum eſt pignus coniurationis ſanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere. ſummum nefas: niſi amplius eſſet, propter quod biberunt.

9.b. ATQ. eo dictitare feciſſe.) nonnulli, *Atq. eo dictam rem feciſſe. quod ineptum uidetur*. Alii: *Atq. eo dictante feciſſe*; uel, *Atq. eo dictitant effeciſſe*; uel, *Atq. id ea re feciſſe*; uel, *Atq. id eo feciſſe. Quib. mutandi uoluntatem attulit ignorata ſententia, quam confirmat* antiquiſſimus Fuluij liber. *eſt enim, Dictitare, pro Dictitabant: uſitato* apud Salluſtium *loquendi more. Dictitabant, inquit, Catilinam eo feciſſe, quod ſupraſcriptum eſt, ut inter ſe magis fidi forent.*

9.b. FLAGITIIS, atq. facinoribus, coopertus.) *putarem pro Facinoribus, legendum Fenoribus: tum quod ita legit* Gellius lib. 1. & IV. cap. XVI 1. *tum etiam quod, cum dixerit, Flagitijs ſuperuacaneum, uidetur, Facinoribus. uerum* Nonij *me* auctoritas *a mutatione deterret. nam* in uerbo Facinus *hunc locum recitat. Praeterea differunt omnino Facinora a Flagitijs: nam et Facinus interdum bonum eſt; &, cum eſt malum, maius habet quiddam, quam Flagitium*. Idem Salluſtius ſupra, 5: Omnium flagitiorum, atq. facinorum, circum ſe, tamquam ſtipatorum, cateruas habebat. (*ſic enim habent* omnes, *q. uidi*, ueteres libri. unus Fuluij, *quaſi errraſſet librarius in ſcribendo, litteris ſuperſcriptis habet, Flagitioſorum, atq. facinoroſorum.*) Et ibidem: Alienum aes grande cõflauerat: quo flagitium, aut facinus, redimeret. Et infra, 14: Omnes, quos flagitium, aut facinus, domo expulerat. Item, ad C. Caeſarem de rep. ordinanda, 100: Non facinus, non probrum, aut flagitium, obſtat,

quo minus &c. Et ibidem, 103. An L. Domitij magna uis est, cuius nullum membrum a flagitio, aut facinore, uacat. Item, 105: Non flagitium a te, neq. malum facinus, petimus, sed uti libertatem euersam restituas. Flagitiosissima quoq. facinora appellat, in Iugurtha, 45: Plurima, & flagitiosissima facinora fecere.

9. b. ERAT ei cum Fuluia, muliere nobili, stupri uetus consuetudo.) Terentius Adelph. act. 4. sc. 5. Quicum illa consueuit prius. Hecyra: Quicum tot consuesset annos. Phormione: Cum eius consueuit olim matre in Lemno clanculum. Plautus Cistellaria: En umquam cum quiquam uiro consueuisti?

10. a. VIRO, ac liberis, satis fortunata.) *Sustuli particulam Ac, testimonio* Frontonis *adductus. Amator autem breuitatis* Sallustius *huiusmodi particulas saepe ruspuit. Eodem modo* proxime *legendum uidetur, Psallere, Saltare; non, ut est* in uulgatis libris, *Psallere, & saltare. in quo* Macrobij *auctoritate nitor, quem uideo ita legisse* lib. III. cap. XIV

10. a. PSALLERE, *& saltare.*) *etsi* quidam libri *habent, Psallere, & cantare*; & Cicero, oratione 2. in Catilinam, dixerit, Pueri tam lapidi, ac delicati, non solum amare, & amari, neq. cantare, & psallere, sed etiam sicas uibrare, & spagere uenena, didicerunt. & Suetonius in Tito, Ne musicae quidem rudis, ut qui canere, & psalleret iucunde, scienterque. & Spartianus in Hadriano, Psallendi, & cantandi scientiam praeferebat: *tamen sequor libentius* antiquissimum Fuluij librum, *in quo diserte scriptum uideo, Psallere, & saltare. nam, Psallere, non idem est, quod, Saltare; sed potius, fidib. canere, itaq. dixit* Gellius, lib. XIX. cap. IX. Desiderauit exhiberi, quos habere eum sciebat scitissimos utriusq. sexus, qui canerent uoce, & qui psallerent. Non *enim necesse erat dicere*, Canerent uoce, *nisi & in uerbo*, Psalleret, *cantus inesset. itaque, ut, distingueret,*

dixit,

dixit, Canerent uoce. *Praeterea Psaltriam, & Fidicinam, aeq. dici, non ignoramus: &* apud Graecos ψάλλω, *pro canto*; ψαλμὸς *pro, cantu, accipitur. Addo* Macrobij testimonium, *qui* lib. 3. *Saltare agnoscit* in Sallustio. ait enim sic: Taceo, quod matronae etiam saltationem non inhonestam putabant: sed inter probas quoq. earum erat saltandi cura, dummodo non curiosa, usq. ad artis perfectionem. quid enim ait Sallustius, Psallere, saltare, elegantius, quam necesse est probae? adeo & ipse Semproniam reprehendit, non quod saltare, sed quod optime, scierit. Et Seruius, in Virg. Aen. lib. 1. & 4. citat ex Sallustio: Saltare elegantius, quam necesse est probae. Quod, ut uitium, notauit Aemilius Probus in Epaminondae uita: Scimus, inquit, musicen nostris morib. abesse a principis persona; saltare, etiam in uitijs poni. quae omnia apud Graecos & grata, & laude digna ducuntur. Et Cicero agnoscere *uidetur in Curionis incessu fidicinae mollitiem, cum dixit* in oratione in ipsum, & Clodium, cuius haec uerba recitant Nonius, & Rufinianus: Tu uero festiuus, tu elegans, tu solus urbanus; quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae, qui laeuare uultum, mollire uocem, potes.

13. a. MAIORE uestrum.) *Vestrum, reposui, pro, Nostri, quod ita* Apollinarem apud Gellium *legisse cognouissem.* is enim sic, lib. xx. cap. v. Importunissime fecerunt, qui in plerisq. Sallustij exemplarib. scripturam illam sinceriss[imam] corruperunt. nam, cum ita in Catilina scriptum esset, Saepe maiores uestrum miseriti plebis R. Vestrum aboleuerunt; &, Vestri, superscripserunt: ex quo in plures libros mendae istius indoles inoleuit.

13. a. ARGENTVM aere solutum est.) *patet sententia: & ita recitat* Nonius in uerbo, Soluo, *Praeterea sic est* in perantiquo Fuluij libro. nonnulli *tamen ex*

genio legendum putarunt, Argentum aere communi solutum est: *mutatione non necessaria*.

15.b. NATVRA, Gallica gens bellicosa.] M. Cato Orig.2.apud Carisi.l.2.Pleraq. Gallia duas res industrioſissime persequitur, rem militatem, & argute loqui. Iustinus ex Trogo, lib.25. Neq. reges orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt; neque, pulsi regno, ad alios, quam ad Gallos, confugerunt. tantus terror Gallici nominis, siue armorum inuicta felicitas erat, ut aliter neq. maiestatem suam tutam, neq. amissam recuperare se posse sine Gallica uirtute arbitrarentur.itaque,in auxilium a Bithyniae rege inuocati, regnum cum eo,parta uictoria, diuiserunt; eamq. Gallograeciam cognominauerunt. Cicero de haruspicum responsis: Artib. Graeci, Galli robore,Hispani numero,Poeni calliditate, ualent.

17.a. DVBITANDO, & prolatando.) Fuluuij liber; *Protelando*. & in Iugurtha, 42.a. Protelandis consultationibus; *non*,ut in uulgatis libris, Prolatandis.

19.a. ADOLESCENTVLO Caesare.] *anno aetatis* XXXVI. *Pontifex.n. maximus nominatur, & post aedilitatem creatus est, quae cum biennio distet a quaestura, & quaesturam Caesar gesserit anno aetatis* XXXII. *quod* Suetonius declarat: *pontificatum consequi non potuit ante annum* XXXVI. *Sic* Cicero *Curionē* lib.2.Fam.ep.1. *Adolescentem*, & [illegible]2.lib.2.ad Att. *Iuuenem nominat, cum* ea epistola *[illegible] annis ante illam ad Curionem scripta sit. nam in ea, C[illegible]ij, tribunatum petentis, mentio fit;* eae uero ad Curionem omnes, praeter ultimam, *gratulationis officio fungentem, Caluino, & Messalla Cos. scriptae sunt.quo certe anno uidetur Curio maior annis* XXX. *fuisse, cum biennio post tribunus pl. fuerit, Sulpicio, & Marcello Cos.*ut patet ex ep.7.lib.2.Fam.In oratione etiā pro Murena *uocatur Adolescens Ser.Sulpicius, cum minor annis* XXX. *certe non esset.habita.n.*oratio illa *a Cicerone consule:Sulpicius autem*

post

post annos XI. *consulatum gessit*. Et lib.2.de Or.48.*cum dixisset* Cicero *de* L.*Crasso, non multa eum, quae quidem exstarent, & ea ipsa adolescentem, scripta reliquisse; postea* in libro de claris orat. *eius* orationem, quam habuit pro Seruilia lege, *annos natus* XXXIV. *exstare significat.*

20.a. OMNES homines, P.C. qui de reb. dubijs consultant, ab odio, amicitia, ira, atq. misericordia uacuos esse decet. &c.] Aritoteles rhet. lib. 1. Οὐδ' ἐκκλησιαστὴς καὶ δικαστὴς ἥδη, ὅτι παρόντων καὶ ἀφωρισμένων κρίνουσι. πρὸς ὃς καὶ τὸ φιλεῖν ἥδη, καὶ τὸ μισεῖν, καὶ τὸ ἴδιον συμφέρον συμπίπτουσι πολλάκις. ὥστε μηκέτι δικαίως θεωρεῖν ἀναγκάσει τὸ ἀληθὲς, ἀλλ' ἐπισκοτεῖν τῇ κρίσει τὸ ἴδιον ἡδὺ, καὶ λυπηρόν. Et Demosthenes ἐν τῷ περὶ τῆς ἐν Χερρονήσῳ: Εἰ μὲν τοὺς λέγοντας ἅπαντας ἐν ὑμῖν μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα, μήτε πρὸς χάριν. &c. Item Thucydides lib. III. in concione Diodoti: Νομίζω δύο τὰ ἐναντιώτατα ἀβουλίᾳ εἶναι, τάχος τε, καὶ ὀργήν. ἐν τὸ μὲν, μετὰ ἀνοίας φιλεῖ γίγνεσθαι: τὸ δὲ, μετὰ ἀπαιδευσίας, καὶ βραχύτητος γνώμης:

20.b. RAPI uirgines, pueros: diuelli liberos à parentum complexu: matres familiarum pati, quae uictorib. collibuissent.] Sic Cicero, Fam. lib.v. ep. x. Tot ingenuos, matresfamilias. Et oratione 3. in Antonium: Matresfamilias, uirgines, pueri ingenui, abripiuntur. In Verrem quoque: Mitto, adhibitam uim ingenuis, matresfamilias uiolatas.

21.a. IN luctu, atq. miserijs, mortem aerumnarum requiem, non cruciatum, esse: eam cuncta malorum mala dissoluere: ultra neq. curae, neq. gaudio, locum esse.) idem supra, 15: Miserijs suis remedium mortem exspectare. Et in Iugurtha, 35: Morte grauiorem uitam exigere. Plautus Rudente, Neq. est melius morte in malis reb. miseris. Cicero quoque, ep. 13. lib.4. Saepius mihi ueniebat in in mentem, queri, quod ita uiuerem, quam gaudere, quod uiuerem. Et 15. lib.

5. In ea tempora noſtra aetas incidit, ut, cum maxime florere nos oporteret, tum uiuere etiam puderet. Et 3. lib. 6. Ita uiuere, ut non ſit uiuendum, miſerrimum eſt: mori autem, nemo ſapiens miſerum duxit, ne beato quidem. Et 3. l. 7. Vbi non ſis, qui fueris, non eſſe, cur uelis uiuere. Idem quoq. oratione IV. in Catilinam. Mortem ſapientes numquam inuitus, fortes etiam libenter, appetiuerunt. Et Liuius lib. 2. dec. 3. Qui ſe bene mori, quã turpiter uiuere, maluit. De Graecis autem Eurip. in Theſeo. Ταχὺς γὰρ ἅδης ῥᾴστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ. Et idem: -τὸ γὰρ θανεῖν κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται. Ex Xenophõ in Rep. Lacedaemoniorum: Ἄξιον ὂν τῆ Λικύργ: καὶ τόδε ἀγαθὸν, τὸ κατεργάσασθαι ἐν τῇ πόλει αἱρετώτερον εἶναι) καλὸν θάνατον, αὐτὶ τῆ αἰσχρᾶ βίᾳ. Et Aeſchyl. Κρεῖσσον γὰρ εἰς ἅπαξ θανεῖν, ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.

Contra autem, in Iugurtha, 61: Queis, inquit, turpis nita integra fama potior fuit.

22. a. TELA militaria ab Samnitibus, &c.] Athenaeus, lib. VI. Καὶ περὶ Σαμνιτῶν ἔμασον θυρεᾶ χρῆσιν. Vide & Liuium lib. 1. de Magiſtratuum inſignibus.

22. b. LONGE mihi alia mens eſt, P. C. cum &c. & cum &c.] Demoſthenes Olynthiaca tertia: Οὐχὶ ταυτὰ παρίσταί μοι γινώσκειν ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω, καὶ ὅταν εἰς τοὺς λόγους, ἃς ἀκούω. τοὺς μὲν γὰρ. &c. Et Thucydides *lib.* 3. in concione Cleonis.

23. b. VERA rerum uocabula amiſimus.] Thucyd. l. 3. Καὶ τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων, ἐς τὰ ἔργα ἀντήλλαξαν τῇ δικαιώσει. &c.

24. a. A. MANLIVS.] *uel legendum, T. Manlius; uel errauit* Salluſtius, *memoriae uitio. non enim huic Aulo, ſed Tito, praenomen fuit. quod &* Faſti Capitolini, & Liuius lib. 7. & 8. Ciceroq. lib. 3. de Off. 87. 1. 2. & alij multi docent. Gell. l. 9. c. 13. De uir. ill. c. 28. Eutr.

28. Eutr. l. 2. Cassi odorus. Diod Sic. lib. 16.

24. a. BELLO Gallico.] *& hoc contra testimonium* Liuij lib. 8. Valerij lib. 2. cap. 2. *&* aliorum. *nam contra Latinos bellum gerebatur; non contra Gallos, cum filium Torquatus securi percuti iussit.* Plutarchus item in Parallelis, *a Torquato contra Samnites hoc anno pugnatum*, scripsit, *contra historiae fidem. nam*, ut dixi, *cum Latinis, non cum Gallis, aut cum Samnitibus, pugnatum est.* Et Dionysius Ant. l. 8. idem, quod Sallustius, tradit.

24. a. VIGILANDO, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: ubi socordiae tete, atq. ignauiae tradideris; nequidquam deos implores: irati, infestiq. sunt.] Cicero sic, de Finib. lib. 3. Minime conuenit, cum ipsi inter nos abiecti, neglectiq. simus, postulare, ut dijs immortalib. cari simus, & ab his diligamur. Et Metellus, in oratione de ducendis uxoribus, apud Gell. lib. 1. cap. 6. Quid nos a dijs immortalib. diutius exspectemus, nisi malis rationib. finem facimus? Item Euripides, in Electra: Ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς, θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα, Βίον δύναιτ' ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου. Et Demost. Olynth. 2. Οὐκ ἔνι δ' αὖ τὸν ἀργοῦντα, οὐδὲ φίλοις ἐπιτάττειν ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιεῖν, μέσιγα δὴ τοῖς θεοῖς.

25. a. ESSE, quam uideri, bonus malebat.) Aeschylus Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις:
Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.
Aeschyli dictum recitat Io. Tzetzes, lib. v. de uaria hist. 16. Cicero quoq. in Laelio, Virtute, inquit, ipsa non tam multi praediti esse, quam uideri, uolunt.

25. a. Eo magis illam assequebatur.) *sic &* antiquus Fuluij liber. Augustinus legit, Eo magis illum sequebatur. Alij, Eo magis assequebatur. omnia recte.

26. b. VERBA uirtutem non addere.] idem in

in Iugurtha,70. b. Plura dicerem, Quirites, si timidis uirtutem uerba adderent:nam strenuis abunde dictum puto. Et Demosthenes,in oratione, *περὶ τῆς συντάξεως*: Εσι ὃ κεφάλαιον ἁπάντων τῶν εἰρημένων: ὃ δὲ πόθ' ὑμᾶς οἱ λέγοντες, ὅ τε πονηρὸς, οὗ τε χρηστοὺς, ποιήσουσιν: ἀλλ' ὑμεῖς τοὺτες ἐποίησ ἂν βέλτιστ. &c.

27.a. Superuacaneum est.] Et hoc a Demosthene sumpsit ex oratione *περὶ τοῦ στεφάνου*. in qua dixit. *Οὗτος δ' ἐν περιττίας μοῦ κατηγορεῖ*: cum significet: *Hnic autem superuacaneum est,me accusare. Quem locum* hic *uidetur imitatus*. Et Suidas Περιὸν interpretatur, *ὑπερβάλλον*.

27.a. In fuga salutē? sperare.&c.] Xenophon,l.3.de Cyri Paedia:Μωρὸν γὰρ τὸ κρατεῖν ἐθελομένους, τὰ τῖφλα τοῦ σώματος καὶ ἄοπλα καὶ ἄχειρα ταῦτα, ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις φεύγοντας. Homerus. Πῇ φεύγεις μετὰ νῶτα θαλὼν κακὸς, ὡς ἐν ὁμίλῳ Μίτις τοι φεύγοντι μεταφρένῳ ἐν δορὶ πύξῃ.

27.a. Necessitvdo timidos fortes facit. Euripides: Τὰ πολλ' ἀνάγκη διαφέρει τολμήματα. Q. Curt.l.v. Ignauiam quoq. necessitas acuit, & saepe desperatio spei causa est.

27.b. Ab dextera rupe aspera.] *sic &* Fuluij liber. Alij, *A dextris rupes aspera. utrumq. recte*.

28.a. Pavllo diuersius,sed omnes tamen,aduersis uulnerib. conciderant.) *sic* omnes antiqui libri. Caris autem lib. 2. & Diomedes lib. 1. cap. 3. ita legunt: Alis alibi stantes, omnes tamen,aduersis uulneribus, conciderunt; *siue*, ut apud Diomedem, *Cecidetunt. Alis autem, pro Alius, antique dictum*. Priscianus lib. xv. Aliter,inquit, ab eo, quod est, hic alis, huius alis, huic ali;pro, alius, alius, alij; secundum supradictam analogiam profertur. Lucretius autem lib.1. Quando alid ex alio reficit natura;nec ullam Rem gigni patitur. Item: Sic alid ex alio per te tute ipse uidere Talib. in reb. poteris. Et: Namq. alid ex

alio

alio clarescet, nec tibi caeca Nox iter eripiet. Et l. 2. Sic alid ex alio nūquam desistet oriri. Et l. v. Sic alid ex alio peperit discordia tristis. Catullus etiam, de coma Berenices, LXI. - cum regium adepta es Coniugium, quo non fortior ausit alis. Varro Meleagris, apud Nonium Marcellum: Cum etiam alis Menandri tunicam demissam habeat ad talos.

28. a. CATILINA *longe a suis inter hostium cadauera repertus est.*] *iisdem uerbis utitur Florus* lib. 4. cap. 1. *qui hoc amplius: Pulcherrima morte; si pro patria sic concidisset.* Sallustij *autem* uerba haec Seruius in Virgilij librum Aen. 1. recitat.

IN . IVGVRTHAM

29. b. VT quidem regere patriam, aut parentes, quamquam & possis, & delicta corrigas, tamen importunum est.] *sumpsit hoc* a Platone, in epistola longa ad Dionis propinquos: Πατέρα δὲ ἢ μητέρα, οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι προσβιάζεσθαι, μὴ νόσῳ παρὰ φρονοῦντας ἐχομένους. ἐὰν δέ τινα καθεζῶντα ζῶσι βίον ἑαυτοῖς ἀρέσκοντα, ἐμοὶ δὲ μὴ, μήτε ἀπεχθανέσθαι, μάτην νουθετοῦντα. βίαν δὲ πατρίδι πολιτείας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν, ὅταν ἄνδρα φυγῶν, καὶ σφαγὴς ἀνδρῶν, μὴ δυνατὸν ἢ γίνεσθαι τῶν ἀρίστων. Et ex v. de Legibus: Πατρίδος δὲ οὔτις τὴν ὀργὴν θεραπεύειν αὐτῶν δεῖ μᾶλλον, ἢ μητέρα παῖδας. Quam sententiam expressit idem Plato & in Critone, his uerbis: Παντα χοῦ ποιητέον ὅ ἄν κελεύοι ἡ πόλις τε, καὶ ἡ πατρὶς, ἢ πείθειν αὐτὴν, ἢ τὸ δίκαιον πέφυκε. διάκεσθαι δ' οὐχ ὅσιον, οὔτε μητέρα, οὔτε πατέρα, πολὺ δὲ τούτων ἔτι ἧττον τὴν πατρίδα. Hunc Platonis locum Cicero *cum significare nellet, sic ait*, in epistola, Periucundae: Id enim iubet idem ille Plato, quem ego auctorem uehementer sequor: Tantum contende-

re

re in rep.quantū probare tuis ciuib.possis:uim neq.parenti,neq. patriae,afferre oportere. Et lib.1.de Rep.,apud Noniū:Sed,quoniā plurima beneficia continet patria,& est antiquior parens,quam si quis,ut aiunt,creauerit: maior ei profecto,quam parenti, debetur gratia.

29.b. FRVSTRA niti,neq.aliud,se fatigando,nisi odiū quaerere,extremae dementiae est.] Plato inepistola ad Perdiccam, quam Ficinus Dionis esse putat: *Εἰ μὴ μάτλων μὲν κινδυνεύειν ᾤετο, πλέον ἢ ἀδὲν ποιήσειν.*

31.a. MANASTABALE.] *Cum superiore anno* Sallustium,ueterum librorum *ope a me emēdatum, emitterem, praecipueq. in eo adiutus essem* antiquissimo Fuluij Vrsini libro;*eum ita diligenter inspexeram,nihil ut oculos meos effugisse arbitrarer. Sed,cum postea* eundem librum *euoluerem, cum alia multa, minime negligenda; secus* in eo libro *scripta animaduerti: tum uero hoc nomen, Mastanabale, non Manastabale: & cum* antiquo libro Carisius consentit: qui lib. 1. de nominib. in Al terminatis: Si qua,inquit,masculina inueniuntur:haec barbara sunt: ut Hannibal, Adherbal,Mastanabal.

31.a. EQVITARE, iaculari.) Seruius, haec recitans lib. 2. Aen. Equitari, *uidetur legisse. hic ego nihil pronuncio; contentus,diuersam lectionem ostendisse.*

32.b. HVIVSCEMODI uerba cum Iugurtha fertur habuisse.) Spartianus in Seuero *diuinam* hanc orationem *uocat.* Seuerus,ait, imperator diuinam Sallustij orationem, qua Micipsa filios ad pacem hortatur, ingrauatus morbo, misisse filio dicitur maiori. idq. frustra. &c.

32.b. NON exercitus, neq. thesauri, praesidia regni sunt, uerum amici: &c.) hunc locum sumpsit ex Xenophonte, in oratione, quam habuit eius filijs, & amicis, antequam moreretur: *Οἶδα μὲν οὖν καὶ σὺ ὦ καμβύση, ὅτι οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῳζόν ἐστιν, ἀλλ' οἱ πολλοὶ φίλοι, σκῆπτρον κα-*

σι-

σιλεῖσιν, ἀληθέσατον καὶ ἀσφαλέσατον. πιστὰς δὲ μὴ νόμιζε φύεσθαι ἀνθρώπους. πᾶσι γὰρ οἱ αὐτοὶ πιστοὶ φαίνονται. ὥσπερ καὶ τἄλλα τὰ πεφυκότα πᾶσι τὰ αὐτὰ φαίνεσθαι. ἀλλὰ τοὺς πιστοὺς τίθεσθαι δεῖ ἕκαστον ἑαυτῷ. ἡ δὲ κτῆσις αὐτῆς ἔστιν οὐδαμοῦ σὺν τῇ βίᾳ, ἀλλὰ μᾶλλον σὺν τῇ ἐνεργεσίᾳ. εἰ οὖν καὶ ἄλλας τινὰς πειρᾶτη συμφύλακας τῆς βασιλείας ποιεῖσθαι μηδάμοθεν πρότερον ἄρχῃ ἢ ἀπὸ τοῦ ὁμόθεν γενομένης. &c.

34.b. SECVNDVM ea) *pro, Post ea. sic* Priscianus legit lib.xiv.de praepositione agens, *idq. sententia confirmat.* Fuluij liber, *Sed ea.*

36.b. SINE dedecore, P. C. oro uos, per liberos, atq. p. u.) Fuluij liber, *Sine dedecore, per uos, per liberos, etc.* Quo modo locutus idem Sallustius, pag. 20:21. 22: 41: 89: 92: Et Liuius ix. 2. belli Punici. Per uos, fidemq. uestram, P. C. prius quam eorum scelus expietis, neq. in Italia, neq. in Africa, quidquam rei gesseritis.

37.b. MARE saeuum, importuosum) *sic* antiquus Fuluij liber. Seruius *tamen*, haec recitans in Virg. Aen. lib. i. *copulam addit.*

37.b. CAELO, terraq. paenuria aquarum:) Seruius, haec recitans in Virg. Aen. lib. i. copulã omittit.

38. a. MVLTIS sibi imperium petentibus.] Quidam, Multis sibi quisq. imperium petentibus, *Graeco genere loquendi. Quo modo* Aristoteles, lib. 3: Rhet. dixit. Μετὰ δὴ ταῦτα δήλων ὄντων, καὶ οἷα, καὶ ἡλίκα, εἰς τὰ πάθη ἄγειν τὸν ἀκροατήν. Varro de uita P.R. l. 2. apud Noniũ, Suum quisq. diuersi cõmodum focillantur.

38.a. MVTANDI copia erat.) antea, *Mutuandi.* nos, *Mutandi, reposuimus*, ex Fuluij libro. *Sic enim locutus* idem Sallustius, 50. b. Eaq. mutare cum uino aduecticio, & aliis talibus. Et hac ipsa pagina: Freto diuisi ab Hispania, mutare res inter se instituerant.

38. a. QVAE Mapalia illi uocant.) *ne quis*

posthac

posthac dubitet, Mapalia, an Magalia, scribendum sit: non alienum uisum est hic adscribere Seruij uerba. Is igitur sic ad illud Virgilij lib. IV. Aen.

Vt primum alatis tetigit Magalia plantis,

Magalia: Afrorum casas. Magalia, & Mapalia, idem significant. Sed, Mãgalia Mã producit; Mapalia, uero, corripit: ut, Et raris habitata Mapalia tectis. Festus Pompeius *Mapalia nominat:* & idem Sallustius infra, 51. a.

38. a. NVMIDIAE nomine.) *credo* hominib. fide dignis, *affirmantib.* in antiquo libro, *Nomo, esse, non, Nomine. quod rectius uidetur.*

38. b. PROXIME *Carthaginem Numidia appellatur.*) Fronto in, Proxima, sic: Proxima Carthaginem Numidia appellatur.

38. b. PROXIME Hispaniam Mauri sunt.) Fuluij liber, Hispanias. Fronto, Proximi Hispaniae Mauri sunt.

40. a. VALLO, atq. fossa, moenia circumdat.) Diomedes *lib. 1. cap. 1. copulam omittit.*

40. b. NISI *tamen intelligo.*) *Nisi ualet, Sed. Quo modo* idem locutus 61. b. Nisi, quod illi in tanto malo turpis uita integra fama potior fuit, improbus, intesta bilisq. uidentur. Et 77. b. Nisi tamen resp. pariter ac saeuissimo imperio, bene atq, decore gesta. *Sic &* ab alijs *usurpatur. dixit enim* Cicero ep. 1. lib. XIII. ad Marcium: Nisi tamen multo minus tibi concedi potest. Et ibidem, ep. 73. De re, nihil possum iudicare: nisi illud mihi certe persuadeo, te, talem uirum, nihil temere fecisse. Et ad Atticum, ep. 14. lib. V. Nisi tamen id erit mihi gratissimum. Et ad eundem, ep. 6. lib. XI. Nisi illud erat infinitum. Et ibidem, ep. 23. Nisi illud quidem mutari non uideo posse. Et ad Hirtium, lib. 9. apud Nonium: Dicis, quid quaeso illuc interet at? nescio, nisi tamen id etat mihi iucundum.

Item

Item in oratione pro Sex. Roscio Amerino, 37. Quid erat, quod Capitonem primum scire uoluerit, nescio, nisi hoc uideo, Capitonem in his bonis esse socium. Et Plautus, in Epid. actu 2.

-si placebit, utimino
Consilium; si non placebit, reperitote rectius:
Mihi istic nec seritur, nec metitur. nisi ea, quae uis, uolo.

Et in Persa, actu 2.

-Dij, deaeq. te omnes perdant,
Nisi hodie, si prehendero, defigam in terram colaphis.

Et in Sticho, actu 2.

-Miror, quid fiet:
Nisi, ut pericu lum fiat, uisam quid uelit.

Et Terentius, Andria, actu 4. sc. 1

Nescio. nisi deos fuisse iratos mihi scio,
Qui illi auscultrauerim.-

Quo in loco Donatus *foede errasse* mihi uidetur, *mutilum locum esse existimans.* haec enim dicit: Deest, Quia ut sit, Nisi quia.

Et Eun. actu 3. sc. 4.

- Nequeo satis mirari, neq. conijcere.
Nisi, quidquid est, procul hinc libet priu', quid sit, scisci tari.

Et actu 5. sc. 1

Nescio. nisi amasse credo Pamphilam.

Et actu 5. sc. 6.

Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum.
Nisi, quia necesse fuit hoc facere, id gaudeo.

Et Heaut. actu 3. sc. 2.

Ioco, an serio, illaec dicat, nescio:
Nisi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.

Et actu 4. sc. 1.

Nisi

Nisi aliquid uideo, ne, esse amicam hanc gnati, re-
sciscat senex.

Et Adelph. act. 1. sc. 2.

-dixit, uelle uxorem ducere:
Sperabam iam deferuisse adolescentiam:
Gaudebam. ecce autem deintegro. nisi, quidquid
est,
Volo scire; atq. hominem conuenire, si apud fo-
rum'st.

Et actu 4. sc. 2.

-Nequeo satis decernere:
Nisi me credo huic esse natum rei, ferundis mi-
serijs.

Quo in loco male Donatus.

Et actu 4. sc. 5.

Nescio. nisi, quia tam misere hoc cupio esse uerum,
eo uereor magis.

Et Phormione, actu 3. sc. 1

Nescio. nisi Phaedria haud cessauit pro te eniti.

Et actu 5. sc. 7.

Nescio. nisi, me dixisse nemini, id certo scio.

Et Hecyra, actu 1. sc. 2

Quid egerint inter se, nondum etiam scio:
Nisi sane curae est, quorsum euenturum hoc siet.

Et actu 2. sc. 3.

-Nec, qui hoc mihi eueniat, scio:
Nisi pol filium multis modis iam exspecto, ut red-
eat domum.

Gellius quoque, lib. x. cap. xii

Item aliud, inquit, quod hercle, an ponerem, du-
bitaui. ita est deridiculae uanitatis. nisi iccirco pla-
ne posui, quod oportuit nos dicere, *&c.* Et Plinius, lib.
xxxv. cap. x. Nisi accitus a rege. Sic enim *legendum ex*
omnib. antiquis libris; *non*, ut in peruulgatis, *Sed*. De
Graecis *autem* Aristophanes: Εὖτοι λέγειν ἔμοιγε φαί-
νεσθον

τεθον πάνυ πλὴν ἓν μόνο δέ δοικα. Et alii.

42.a.Prolatandis consultationibus.) Fuluii liber, Protelandis. Quo modo item 16.6. *idq. magis olet antiquitatem.*

43.a.Satyram legem) *dictionem*, Legem, sustulimus, ueterum exemplarium *auctoritate adducti.*

43.a. Dein, postero die, quasi per Saturam sententiis exquisitis, in deditionem accipitur.) Sic Iustinianus, in praefatione quadam Digestorum: Sparsim, & quasi per Saturam, collectum opus, dicit, utili inutilib. mixto, maxima tamen parte inutilib. deputata. Et Carisius lib.2. Omnia in se capit, quasi collecta per Saturam, (*sic enim lego, non, Collectam.*) concessa sibi rerum uaria potestate. Vide & Diomedem; & Festum, *a quo miror* hunc Sallustii locum iisdem uerbis in uoce Satura recitari, ex C. Laelii oratione, quam pro se dixit; *eum procul dubio* Sallustii *sit.*

43.a. Ac potissimũ eam dicam, quã in concione, &c.) Fuluii liber, *Ea dicam, quae in concione. nec displicet. nam, si legatur*, Eam dicam, quam in concione: *non uideo, qui possit apte* uerbum, Differuit, quod subsequitur, *accommodari. quis enim probet hoc loquendi genus*, Orationem differere? *liberum tamen cuiq. iudicium relinquo.*

43.b.Quamq.multi.) Fuluii liber, *Quamq. inulti.* malo, *Multi. & si nec*, Inulti, reiicio.

43.*b.* Obnoxijs inimicis.) *etsi* uideo *scriptum esse* in quibusdam libris, *Obnoxijs inimicis: tamen, Obnoxij*, magis probo: *pro, Subiecti, subditi, uosmet eorum potestati dedentes. quod Memmius reprehendit.*

44.a.Incendunt per ora uestra magnifice) Fuluii liber, *Magnifici.*

44.In imperio nati.) quidam libri *praepositionem emittunt. utrumq. sententiam habet satis commodam.*

44.b.Maius dedecus est, parta amittere, quam omnino non parauisse.) *similia illa*, in Catilina, 22. Virtus,

atq. sapientia maior in illis fuit, qui ex paucis opib. tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta uix retinemus. Et in Iugurtha, 69. Nobilitatem certe peperisse, quam acceptam corrupisse, melius est. Et Thucydides, lib. 2. in concione Periclis 2. Αἰσχιον, ἔχοντας ἀφαιρεθῆναι, ἢ κτωμένους ἀτυχῆσαι.

44. b. VIRVM flagitiosissimum existimo impune iniuriam accepisse.) *suspectus locus. Quod si*, Virum, *deleas, quo modo* in Gryphianis libris impressum est, *haec erit sententia: Tametsi flagitiosissimam rem existimo, ut aliquis iniuriam acceperit impune, ideſt impunito eo, qui iniuriam ipsam intulerit: tamen, &c.* Alii, Viro, *reponunt. quod improbo. Impressam lectionem comprobat* Fuluii liber.

45. b. SECVTI morem imperatoris sui.) Quales, inquit Cicero in epistola, Periucundae, in Rep. principes essent, tales reliquos solere esse ciues, ut apud Platonem nostrũ scriptũ est diuinitus. Platonis uerba sunt, lib. 3. de Legibus: Μηδεὶς ὑμᾶς πειθέτω, ὦ φίλοι, ἄλλῃ θᾶττον, καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἂν πότε πόλιν, καὶ τὺς νόμους ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονία. Eadem prope Xenophon, l. 8. de Cyri paedia: Οποῖοί τινες ἂν οἱ προστᾶται ὦσι, τοιοῦτοι καὶ οἱ ὑπ' αὐτῆς ἐπὶ τοπολὺ γίγνονται. Et Isocrates, ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα, περὶ τῆ βασιλεύειν: Τὶ τῆς πόλεως ὅλης ἦθος ὁμοιοῦται, τοῖς ἄρχουσι.
Et idem inea, quae inscribitur, Νικοκλῆς: Φιλεῖ τὸ πλῆθος ἔν τούτοις τοῖς ἐπιτηδεύμασι τὸν βίον: διάγειν ἐν οἷς ἂν τὺς ἄρχοντας τὺς ἑαυτὸν ὁρῶσι διαπρέποντας.

45. b. CASSIVS praetor.] *antea* in uulgatis libris, *Cassius populi R. quod mendosum duxi. itaq. reposui, Praetor, pro, Populi R. non differentib. antiquis notis, quarum ignoratio errorem peperit. nam Praetor scribebatur sic, P R. Populi R. sic, P. R. Praeterea historiam sum secutus. nam Cassius praeturam gerebat. quod ante paucos uersus ostendit* Sallustius.

Salluſtius. *Cum haec ſcripſiſſem*, eundem Fuluii librum *inſpexi, qui coniecturam meam confirmat. nam* in eo diſerte ſcriptum eſt, Caſſius pr.

45. b. QVONIAM ſe populo R. dediſſet.] *ſic antea* in omnib. uulgatis libris *legebatur*. *Ego, Dedidiſſet*, repoſui, *ex coniectura*.

46. b. PAVCIS diebus.] in quibuſdam libris, *Paucis poſt diebus. ſed perperam: non enim mutatione opus eſt: cum, Paucis diebus, idem ſit, quod, Paucis poſt diebus*. *Quod* Ciceronis, aliorumq. exempla declarant. Vide & 34. 48: 51. 60. 70: 81.

47. a. TRIBVNI. Pl. continuare magiſtratum nitebantur.] *Tribunatus pl. magiſtratus appellatur. proprie tamen*, ſi Plutarcho credimus, *magiſtratus non eſt; cum neq. lictores habeat, neq. ius dicat, neq. purpura utatur*. *Quib. etiam alia* Plutarchus *adiungit, ut probet, non eſſe magiſtratum*. *Cum quo ſentire uidetur* Liuius lib. 1. Ardens, inquit, ira tribunus uiatorem mittit ad conſulē, conſul lictorem ad tribunum, priuatum eſſe clamitās, ſine imperio, ſine magiſtratu. *Sed utrumq. refellit* Cicero, in ep. 7. lib. 1 fam. cum ait: Quo quidem tempore, ut perſcripſi ad te antea, cognoui Hortenſium percupidum tui, ſtudioſum Lucullum, ex magiſtratib. autem, L. Racilium, & fide, & animo in te ſingulari. Quem enim hic *in magiſtratum eſſe dicit, eum tribunum pl. nominat* ep. 1. & 5. lib. 2. ad Q. Fratrem. Et in oratione pro Quinctio, *de tribunis pl.* Per eum magiſtratum, qui auxilij cauſſa conſtitutus eſt. Et lib. 1. de Oratore: Exierant cum Craſſo adoleſcentes, C. Cotta, qui tribunatum pl. tum petebat, & P. Sulpicius, qui deinceps eum magiſtratum petiturus putabatur. Et in lib. de claris Oratoribus: Ita tacitus Craſſi tribunatus, ut, niſi in eo magiſtratu cenauiſſet apud praetorē Granium, idq. nobis narrauiſſet Lucilius, tribunum pl. neſciremus fuiſſe. Apud Nonium autem Feneſtella,

his uerbis: Vt magistratum inierunt tribuni pl. C. Cato Ptolemaeo regi, & Lentulo consuli, assiduis concionib. inuidiam concitare coepit. Et Asconius, idem significat in commentario Verrinae II. *cum, interpretans illud* Ciceronis, Magistratum ineat necesse est nonis Decembribus: Eo, inquit, die tribunus pl. futurus. Et idem, in orationem pro Cornelio, C. Cottam legem tulisse, ut tribunis pl. liceret postea alios magistratus capere, duob. in locis ait. Et ibidem, Tiberium Gracchum tribunum M. Octauio, collegae suo, magistratum abrogasse, tradit. *Mirari equidem* aliquis *possit, quod* scriptum Plutarchus reliquit, *tribunos pl. purpura non esse usos*; *cum* in oratione pro Cluentio *de tribuno pl. Quinctio* legantur haec: Facite, ut non solum mores eius, & arrogantiam, sed etiam uultum, atq. amictum, & illam usq. ad talos demissam purpuram, recordemini. *Verum non est inter eos controuersia. notat enim* Cicero *purpuram in Quinctio tribuno pl. tamquam indicium insolentiae, quod amictu uteretur, ceteris tribunis inusitato.*

47.b. SVBDOLE eius augere amentiam.] sic & antiquus Fuluij liber. *Subdolus tamen* reposui; *quod ita scriptum* in quibusdam antiquis libris *comperissem: & argutius uidetur, magisq. Sallustianum.*

48.a. CENTVRIO primipili tertiae legionis] *Primipilus, & Primus pilus, non idem sunt, nam Primipilus, siue Primopilus* (*utrumq. enim*, ut infra ostendam, ueteres *dicebant; unde Primipilaris*, apud Quinctilianum, lib. VI. Plinium epist. lib. X. & apud Suetonium in Tiberio, & Spartianum in Pescennio Nigro, *Primo pilus autem* in antiquo lapide *reperitur*) *Centurio primus fuit inter decem centuriones triariorum. Primus pilus autem non centurio, sed centurionatus, fuit, quem ordinem centurio Primipilus dicebat. Vtriusq. subiungam exempla, et*

centurio-

centurionis primum, deinde ordinis. Exemplorum autem quia duo genera sunt, quae ex libris, *quaeq.* ex antiquis lapidib. *sumuntur; primum* a libris *ordiar.* Caesar, *de Primipilo centurione,* lib. 2. Bel. Gal. Primipilo P. Sextio, multis uulnerib. confecto. Liuius lib. 7. P. Salonius alternis prope annis & tribunus militum, & primuscenturio, erat, quem nunc Primipilum appellant. Idem lib. 8. Duo Primipili ex utraq. acie inter Triarios erant. Valerius lib. 1. cap. 6. de prodigijs: Aquilarum altera uix conuelli a primipilo potuit. Addam etiam Dionysij Halic. Graeca uerba, quae sunt lib. 11. Ἑνὸς τῶν ταγμάτων τῇ λαμπροτάτῃ ἀρχῇ κεκοσμημένος, ᾗ τὰς ἑξήκοντα ἑκατονταρχίας ἕπεσθαι τε, καὶ τὸ κελεύμενον ὑπηρετεῖν, κελεύει νόμος. τούτους Ρωμαῖοι τοὺς ἡγεμόνας τῇ πατρίῳ γλώττῃ Πριμοπίλους καλοῦσιν. *Quibus uerbis intelligitur, centurioni Primipilo solitas obedire sexaginta centurias, id est, totam legionem.* Et Vegetius, *eum Aquilae praefuisse, quod erat signum legionis,* lib. 2. *demonstrat. Cuius potestatis ea ratio fuit; quia, cum essent in legione tria militum genera, denis singula centurionib. instituta, Hastati, Principes, Triarij; & ceteris omnib. Triarij, aetate, usu, fortitudine praestarent.; eo fiebat, ut primus centurio Triariorum non modo reliquis nouem Triariorum centurionibus, uerum etiam reliquis Hastatorum, & Principum, centurionib. imperare posset. Propterea dixit* Dionysius, *eum sequi solitas sexaginta centurias. uerum id perquam raro factum opinor; quippe cum in praelijs separatim singuli ordines, Hastati, Principes, Triarij, pugnarent. Quod si & Hastati, & Principes, loco moti, fusiq. ab hostib. fuissent; tunc Triarij, fugientib. exceptis, renouata pugna, hostes inuadebant, eosq. Hastati, & Principes, modo victi, sequebantur. ita, permixtis ordinibus, unum esse oportebat, cuius uoluntati, & imperio, milites omnes parerent. Is autem Primus centurio, id est* Primipilus, *fuit: qui cum aquilae praeesset,* ut ait Vegetiüs, *& inter centurio-*

nes Triariorum primum locum obtineret; iure omnib. reliquorum quoq. ordinum centurionib. imperabat. Quod & Plinius lib. 22.c.6.declarat.inquit enim: Primum pilum capeſſens ſub Catulo, excluſam ab hoc legionem ſuam hortatus, tribunum ſuum, dubitantem per caſtra hoſtium erumpere, interfecit, legionemq. eduxit. *Quib. uerbis conſtat, eum, qui primum pilum duceret, primum locum in legione, poſt tribunum militum, obtinere ſolitum.* Liuius *quoq. honoratiores ceteris centurionib. indicat fuiſſe primipilos,* cum ait lib.42. Cum tribuni militum centuriones, ſed primum quemque, citarēt; tres & uiginti centuriones, qui primos pilos duxerant, citati tribunos pl. appellarunt. *Quemadmodum autem Primipili primum locum inter omnes ſuae legionis centuriones obtinebant: ſic primae legionis* Primipili *honore praeſtabant omnib. ceterar. legionum* Primipilis. *Propterea Sp. Liguſtino, qui antea quater pilum duxerat, primus pilus in legione prima uirtutis cauſſa eſt aſſignatus.* Quod apud Liuium ſcriptum eſt, eodem libro.

Haec, ex libris: *Nunc* lapidum teſtimonia ſubſcribamus.

Fulginei. 1

P. AELIO. P. F. PAPIR
MARCELLO . CENT
FRVM . SVB . PRINCIPI . PR
PEREGRINORVM . . ADSTATO
ET. PRINCIPI . ET . PRIMIPILO
LEG. VII. GEN . PIAE . FEL . ADLEC
TO . AD . MVNERA . PER AEFF
LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMAE
ADIVTRICIS . V . F . FLAMINI
LVCVLARI . LAVREN . LAVINA
PATRONO . ET . DECVRIONI
COLONIAE . APVLESIVM . PATRONO
CIVITAS . FORO FLA . FVLGINIA
ITEMQVE . IGVVINORVM . SPLEN
DIDISSIMVS . ORDO . FOROFLAM
CVIVS . DEDICAT . DECVRLONIBVS
ET . LIBERIS . FORVM . PANEM
ET . VINVM . ~~55~~ . XX . N . ITEM
MVNICIPIBVS . ~~55~~ . IIII . N . DEDIT

Sorae, ad D. Restitutae. 2

L . . FIRMIO . L . F .
PRIM . PIL . TR . MIL
IIII . VIR . I . D
COLONIA . . DEDVCTA
PRIM . PONTIFICI
LEGIO . IIII . SORANA
HONORIS . ET . VIRTVTIS
CAVSSA

SCHOLIA

Capuae, ad D. Vincentij. 3

PAVLO . AEMILIO
PRIMIPILO . BIS
PRAEFECTO . EQVIT
TRIBVNO . COHORTIS
IIII . PRAETOR
. . . . SENECIO

Romae, in domo Caesia. 4

M. Pompeio. M. F. Ani. Aspro
7. Leg. XV. Apollinar. 7. Coh. III. Pr
Primop. Leg. III. Cyren. Praef. Castr
Leg. XX. Victr
Atimetus . LIb . Pullarius
Fecit. et. Sibi. et
M. Pompeio. M.F. Et. CInciae
Col. Aspro Saturninae
FIlio. suo. et VxorI. suae
M. Pompeio. M. F. Col. Aspro. FIlio. Minori

Venafri, post tribunal altaris maioris Episcopatus. 5

Sex . Aulieno . Sex. F . Ani
Primo pil . II. Tr. Mil
Praef . leuis . armat
Praef. Castr. Imp. Caesar. Aug
et. Ti. Caesaris . Augusti
Praef. Classis. Praef. Fabr
II. Vir. Venafri. et. Foro. Iuli
Flamini. Augustali
Nedymus . et . Gamus . Lib

Seno-

Senogaliae. 6

P. F ..... A. Primopilo
Spectatae.uirtutis.equestris.ordinis.u
Patribus. et. Plebi. grato
Ob. gratam. adolescentis
indolem. . benemeritam
Saxum . . Dedit

Parmae. 7

. . . . . .
PRAEF. LEG. XX. VALEN
VICTR. PRIMOP. LEG
X. GEMIN. PIAE. FIDEL
CENT. LEGION. IIII. SCY
THIC. XI. CLAVD. XIIII. GEM
VII. GEMIN
PATR. COL. IVL. AVG. PARM
PATR. MVNICIPIORVM
FORODRVENT. ET. FORO
NOVANORVM. PATRON. COL
LEGIOR. FABR. ET. CENT. ET
DENDROPHOR. PARMENS
COLLEG. CENT. MERENTI

Tarra-

Tarraconae. 8

Templum . hoc . Sacrum . Her . . . .
. . . . . Augusti . Nomen . Felix
Remaneat . Stirpis . . suae . laetetur
Parens. Nam. Quom. Te. Caesar. Te. M
Exposce. Deum. Caeloque. . . . Reperies . . .
Mundum. Reges. sint, Hei. tu . . et . . sorte. . . .
Huic. Imperent. Negantq. Nos. felicibus. uo-
teis. sueis
L. Aurelius. L. F. Pal. Rufus. Primopilaris
. . . . . XVI. Militaris. sec . . . . . .
. . . . . Imp. Caesaris. . . . . .

In Hispania. 9

L. AVRELIVS. L. F
PAIL
RVFVS
PRIMOPILARIS
LEG. XVI
H. S. E

De *ordinis ductore, qui Primipilus, uel Primopilus, uocabatur*, diximus. *Nunc de ipso ordine, qui Primus pilus, non Primipilus, aut Primopilus, appellabatur*, ea, quae scripta sunt a ueteribus, *afferamus*. Caesar lib. 3. Bel. Gal. P. Sextius Baculus, primi pili centurio. Idem planius etiam, lib. 5. Baluentius anno superiore primum pilum duxerat. Et lib. 6. Sextius primum pilum apud Caesarem duxerat. Et lib. 1. Bel. ciu. L. Pupius, primipili centurio. Et lib. 3. Scaeuam, centurionem, ab octauis ordinib. ad primum pilum traduxit. *tametsi mendose* in uulgatis libris, in eo loco, *legatur, Primipilum. nam* in antiquo Borromaei Cardinalis libro est, Primum pilum. Et ibidem, infra: Crastinus primum pilum superiore anno in legione decima duxerat. *De hoc ordine significasse* eundem *puto* lib. 5. Bel. Gal. cum dixit: Erant in ea legione centuriones, qui iam primis ordinib. appropinquarent, T. Pulfio. & L. Varenus. Et Tacitus, lib. x i x. Occisi sex primorum ordinum centuriones. Et Liuius, lib. 7. Septimum primum pilum iam Tullius ducebat. Et lib. 8. ubi de acie tertia loquitur. Sub signis quindecim ordines locabantur: ex quib. ordo unusquisq. tres partes habebat: earum unamquamq. Primum pilum uocabant. trib. ex uexillis constabat. *Cum dicimus etiam, Centurio primi pili; idem ualet, ac si dicamus, Centurio, primum pilum ducens*. quod ostendit Sallustius, hoc in loco. *Et* Velleius, lib. 2. Primi pili centurionem, nomine Vibillium, fuste percussit. Liu. l. 2. Populus dedicationem aedis dat M. Plaetorio, primi pili centuruoni. Suetonius in Caligula: Nonnullis centurionibus, ante pauciſſimos, quam consumaturi essent, dies, primos pilos ademit, caussatus senium cuiusq. & imbecillitatem. Et Valerius, lib. ix. Dedicatio aedis Mercurij M. Plaetorio, primipili centurioni, data est. Et Tacitus, lib. xiii. Curam praesidiorum Pactio Orfito, primi pili honore

honore perfuncto, mandat. Et lib. xix. Aquilam Atilius Verus, primi pili centurio, seruauerat. Et Plinius, lib. 22. cap. 6. Primum pilum capessens, legionem eduxit. *Haec* ex historia. *Sed* a Cicerone *quoq. tria suppetunt huiusce generis* exempla. Epist. 20. lib. 5. ad Atticum: Cohortem primam totam perdidit, centurionēq. primi pili, Asinium Dētonem. Et in oratione pro Balbo: L. Marcius, primi pili centurio, cum Gaditanis foedus iciſſe dicitur. Et in Antonium, oratione xi. Cum Aquilae primi pili nummos aureos daret. Quo *loco subaudiri, Centurioni, non dubito: alioqui legendum putarem, Aquilae primipilo. Constat igitur* ex Caesare, Sallustio, Cicerone, Liuio, Velleio, Suetonio, Valerio, Tacito, Plinio, *ordinem in militia fuisse Primum pilum: de quo* lapidum testimonia *non habemus: ordinis autem ductorem fuisse Primipilum*, & lapidibus, & libris, *probatum iam est. Quaeri potest: cum Primipilus, quem fuisse primum in Triarijs centurionem*, Liuio *maxime* teste *probauimus, qui eum tribuno mil. honore proximum locat, quib. nominib. reliqui nouem Triariorum centuriones appellarentur. Opinor, numero distinctos fuisse, ut post Primipilum diceretur, Centurio secundi triarij; post hunc autem, Centurio tertij triarij; eademq. ratione, usq. ad decimum.* Et, cum dixit Caesar, Ab octauis ordinib. ad primum pilum Scaeuam traduxit: *indicat, opinor, Scaeuam, e centurione octaui triarij, primum centurionem, ideſt primipilum, ob uirtutem, esse factum. Sic* Primus hastatus, *pro primo ordine hastatorum*, a Caesare nominatur lib. 2. bel. ci. Cecidit, inquit, Q. Fulginius, ex primo hastato legionis xii. qui, ob eximiam uirtutem, ex inferiorib. ordinib. in eum locum peruenerat: *ideſt, a decimo hastato, per omnes reliquos ordines, usq. ad primum.* Et Cicero, lib. 1. de Diuin. Signifer primi hastati signum loco mouere non potuit. *Eadem ratione Primus princeps uocabatur primus ordo inter principes;*

cipes ; sic secundus , tertius , usq. ad deùimum . Vnde illud, in Ciceronis ad M. Brutum epistola: Nasennius , Cretensi bello, Metello imperatore, octauum Principem duxit . *Transibant autem centuriones uirtutis gratia ab inferiore ordine ad altiorem ; ut , a decimo hastato , ad nonum; a nono, ad octauum; & sic, usq. ad primum: a primo uero hastato non ad decimum principem , sed ad primum ; nec deinde a primo principe ad decimum triarium , sed ad primum , qui* priscis temporib. *uocabatur primus centurio;* posterioribus, *Primipilus,* ut Liuij uerbis ostendimus . *Hanc* mihi *coniecturam de centurione primi hastati ad ordinem Primum principem traducto,* Liuius *affert;* apud quem lib. 42. ita loquitur Sp. Ligustinus: Hic me imperator dignum iudicauit , cui Primum hastatum prioris centuriae assignaret: tertio iterum uoluntarius miles factus sum in eum exercitum , qui aduersus Aetolos, & Antiochum regem, est missus a Man. Acilio mihi Primus princeps prioris centuriae est assignatus . *De Centurione autem primi principis , ad ordinem primi pili traducto ,* sic Vegetius, lib. 2. uetus consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoueretur Centurio primi pili . Hactenus recte Vegetius. Quod autem subiungit , *in eo mutatam Militiae rationem declarat* ; ait enim : Qui non solum Aquilae praeerat, uerum etiam quattuor centurias, ideſt, quadringẽtos milites, in prima acie gubernabat. *Primum, non quattuor centurias, uerum unam tantum , gubernabat primipilus : & erant in Triarijs , quot Manipuli, totidem primipili ; qui antea,* ut lib. VII. scripsit Liuius, *primi centuriones appellati fuerant . In hoc igitur* ualde a Polybio, cui plurimum in historia tribuo , Vegetius dissentit. *Quod si Centuria Manipulus est, ut equidem facile credo; quia Centuriones , qui Manipulis praeerant , nominabantur : non intelligo , qui potuerint in quattuor centurijs milites esse quadringenti . Concedam ,* priscis illis temporibus,

ribus, *cum Roma Regib. pareret, atq. etiam aliquanto post, centenos fuisse milites in centuria; sed, quo tempore aduersus Latinos Romani T. Manlio Torquato, & P. Decio cos. dimicarunt, in singulis hastatorum, principumq. manipulis erant milites sexageni; praeterea centuriones duo, uexillarius unus: Triariorum autem* 180, *& centuriones item duo, uexillarius unus: totidemq. & Rorarij, & Accensi, in eodem, cum triarijs, manipulo. nam in tertia acie quindecim manipulos* Liuius constituit: *quos etiam Ordines* uocat: *singulosq.* diuidit *in partes tres, Triarios, Rorarios, Accensos. Age,* Liuianos *manipulos omittamus: de ijs cogitemus, quos* Polybius *denos quidem in singulis militum generibus, ideſt in hastatis, principibus, triarijs, diuerso tamen militum numero, constituit. singulis enim Hastatorum, & Principum, manipulis milites attribuit* CXX; *Triariorum autem manipulis dimidium, ideſt* LX. *Ita neq.* Vegetio *cum* Liuio, aut Polybio; *neq. rursus* inter Liuium, *&* Polybium, *conuenit. Quid, quod primum pilum in acie prima* statuit Vegetius, *contra quam* Liuius, & Polybius, *qui locum ei postrema in acie inter Triarios assignat. nimirum* diuersis temporib. *magna rei militaris facta commutatio est. Nec enim perpetuo mansit ea militiae ratio, quam a* Polybio, qui cum Africano minore uixit, *explicatam uidemus. Ille pilum solis uelitib. tribuit, hastatis autem, & principibus, ueruta bina; triarijs, neq. pilum, neq. ueruta, sed hastam, praeter gladium:* Caesar autem, lib. III. Bel. ci. (*ut uno contenti simus exemplo, cum suppetant multa*) *iacta esse pila,* significat, *ab ijs, qui cum Crastino euocato contra* Pompeianos *procurrerunt: quos non fuisse uelites, qui minimae fortitudinis erant,* ostendit *non obscure:* ait enim: Electi milites eum circiter CXX. uoluntarie eiusdem centuriae sunt prosecuti. *Vt omittam, quod legionem C. Marius auxit ad militum sex millia: ut is esset ordinarius nnmerus, qui antea fuerat quatuor millia ducenti:* quod Polybius memoriae prodidit.

48.b. C. MAMILIVS Limitanus.) alij, *Limentanus. quod mendosum est. Sincerum autem, Limitanus, aut Limetanus: cum, & E, uicissim ueteres usurpauerint. Est autem hic C. Mamilius is, qui legem Mamiliam celebrem tulit de Limitibus, cuius mentio est* in libro de Limitib. agrorum, & apud Ciceronem de Legibus, & in Bruto. Nummum *praeterea* argentum ipsi uidimus apud clarissimum uirum, Andream Lauretanum, patricium Venetum, in quo est, C. MAMIL. LIMETAN

50. a. ALIA omnia sibi cum collega. communia ratus.) *Communia*, Fuluij liber *non habet*.

51. a. COCTVM cibum.) Valerius, lib. 2. cap. 2. Namq. lixas, inquit, e castris summouit, cibumq. coctum uenalem proponi uetuit: in agmine neminem militum ministerio seruorum, iumentorumque, ut arma sua, & alimenta, ipsi ferrent, uti passus est, castrorum subinde locum mutauit: eadem, tamquam Iugurtham semper adesset, uallo, atq. fossa, amplissime cinxit.

51. a. CERTIOR Romae factus) *Roma, legitur* apud Nonium, haec recitantem in, Innocentia.

51. a. IAM antea experimentis cognitum erat] Sic Tacitus: Experimentis cognitum est, Barbaros malle Romam petere reges, quam habere.

51. b. ITEM funditorum, & sagitt.) *Dehinc, pro, Item, est* apud Nonium, haec recitantem in Commentariolo de genere armorum.

52. a. HVMI arido, atq. arenoso.) *sic legit* Priscianus lib. XIIX. *nec omnino discrepant* ueteres libri. *Quem locum* ab alijs *quoq. iam animaduersum, ac notatum, uideo*.

53. a. POST principia habere.) sic Sisenna, hist. lib. 3. apud Nonium: Post principia paullatim secedunt, atq. inde fugae se mandant. Quo in loco mendose, Post ricipia legitur. Sic & Gnatho Terentianus,

sus, actu 4. sc. 7.
Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnib: signum dabo.
Et C. Gracchus, apud Gell. lib. xv cap. x i i. Sed in conuiuio liberi uestri modestius erant, quam apud principia. *sic enim est legendum: non*, ut in uulgatis, *Principem*. Et Cicero ad M. Brutum: Spes libertatis nusquam, nisi in uestrorum castrorum principijs est. *Quo in loco male* quidam, Praesidijs, pro Principijs. Et Varro, de re rust. lib. i i i. cap. 4. Ego uero, ut aiunt, post principia in castris.

59. a. DOMI modicus.) *respuo, quod* a quibusdam *legitur*, *Domi pudicus. nam & sententia recipit, Modicus; & uero* ita recitat Nonius *in* uerbo, Modicus.

63. a. INTERDVM, somno excitus, arreptis armis, tumultum facere.) Apud Diomedem lib. i. c. 4. ita scriptum est: Interdum, experrectus somno, arreptis armis, tumultum facere.

65. a. IMPARES magnitudine, pari natura.) Seruius, in Virg. Aen. lib. i. Impares magnitudine, pares natura. *Vtrouis modo legas, parui refert.*

66. b. PRETIVM fore.) *sic reposui*, ex plerisq. antiquis libris. Quo modo locutus, 81: Fuerit mihi pretium eguisse aliquando amicitiae tuae. Et Tacitus i. Germanico pretium fuit, conuertere agmen. Et 2. Res, eo anno prolatas, haud referrem, nisi pretium foret. Fuluij tamen liber, Operae pretium fore. Ego *dictionem*, Operae, *induxi*, aliorum ueterum librorum auctoritate adductus.

67. b. MILITIAE.) *sic* antiquus Fuluij liber. in uulgatis, *Militia. Sed antiquus loquendi modus, Domi, militiaeque, adduxit me, addita praesertim* ueteris libri auctoritate, *ut locum mutarem*.

68. b. NATVRAM unam, & cõmunem, omnium.) *Euripides:* Τὸ γὰρ παλαι τοῦτ' ἐγενόμεθα δι' ἓν ἅπαν-
τες

δ' ἔκρινεν ἀ τοιαῦτα γαὶ βροτὸς, ὁμοίαν χθὼν ἅπασιν ἐξ ἀναίδειαν ὄφιν. ἴδιον δ' ὅσον ἔχομεν.

68.b. FACIANT idem maiorib. ſuis.) *non defuere*, qui, *& ſententiam, & loquendi genus, ignorantes, hunc locum deprauare conati ſunt; arbitrati*, pro, *Faciant, legendum, Faciunt: quaſi dixerit* Salluſtius, *Eodem modo maiores ſuos deſpiciunt, ſicuti me. quod aperte falſum eſt, & pulcherrima ſententia deteriore commutatur. Eſt autem horum uerborum haec ſignificatio: Si me iure deſpiciunt, faciant idem, quod maiores ſui fecere: ideſt, imitentur maiores ſuos in recte factis: non enim debent & me deſpicere, & maiores ſuos non imitari.* Graeca loquendi ratio, *parum explorata, ſententiae tenebras offudit.* Sic locutus ante Salluſtium Lucretius, poſt Horatius. Lucretius lib.2. - animalia cum ſint, Atq. animalibu' ſint mortalibu'una eademque. *pro, unum, & idem, quod animalia mortalia ſunt.* Et lib.3.

- quor. unus Homerus
Sceptra potitu', eadem alijs ſopitu' quiete eſt.

pro, eadem, qua alij.

Et lib.4.

Nempe eadem facit; & ſcimus facere omnia turpi.

pro, eadem, quae turpis.

Horatius autem, in libro de Arte poetica, ad Piſones: (*ſic enim malo nominare, quam*, ut quidam, epiſtolam, ex Quinctiliano lib. 8. c. 3. Priſciano, Diomede lib. 3. c.1. Donato in Terent. Adelph. act. 5. ſc.4. Seruio in Virg. Aen. lib. 1. & Probo, etſi Cariſius lib.2. aduerſetur.)

Inuitum qui ſeruat, idem facit occidenti.

pro, idem, ac ſi occideret.

De Graecis autem, Sophocles in Aiace:

ὑμεῖς δ' ἑταῖροι ταὐτὰ τῇ δέ μοι τάδε
τιμᾶτε.

Et in Tyranno.

-ἦν γὰρ εὑρεθῇ λέγων
σοὶ ταῦτ', ἔγωγ' ἂν ἐκπεφυγοίην πάθος.

Euripides quoque, apud Gellium, lib. XIII. cap. XXIV.

Δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχυλος,
Ἥκω γὰρ εἰς γῆν φησὶ, καὶ κατέρχομαι.
Ἥκω δ' ταυτόν ἐστι τῷ κατέρχομαι,
Νὴ τὸν δι' ἀστερ εἴ τις ἔστοι γείτονι,
Χρῆσον συμάχησαν, εἰ δὲ βέλη, κάρδοπον.

Et Xenophon, in Cyri Paedia, sic:

Τὸ αὐτὸ ἡμῖν ἀεί δεται. Et infra in eadem saepe. Item Isocrates Ἀπολλωνιάτης, in oratione πρὸς Δημόνικον: Ταυτὰ πάσχει τοῖς ἅρμασι. Et Aristoteles, in libro de Arte poetica: Αὐτὸς ἂν εἴη μιμητὴς Ὁμήρῳ Σοφοκλῆς. Et Rhet. lib. 3. Ἐφη ὁ δὲ, ἔχειν σὺ ταυτὰ τέτοις ἔθε.

69. b. ILLIS artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant.) Thucydides, lib. 3. Ποιήσατε ὖ τῆς ἕλλησι παράδειγμα, ἃ λόγων τέτοις ἀγῶνας προθήσοντες, ἀλλὰ ἔργων: ὧν ἀγαθῶν μὲν ὄντων, βραχεῖα ἡ ἐπαγγελία ἀρκεῖ. ἁμαρτανομένων ὖ, λόγοι ἔπεσι κοσμηθέντες προκαλύμματα γίγνονται.

70. b. NEQ. quisquam parens liberis, uti aeterni forent, optauit, magis, uti boni, honestiq. uitam exigerent.) Sumpsit haec ex Platone in Epitaphio: Οι γὰρ ἀθανάτους σφίσι παῖδας ἄχοιτο γενέωζ, ἀλλ' ἀγαθὲς, καὶ εὐκλεεῖς.

70. b. PLVRA dicerem, Quirites, si timidis uirtutem uerba adderent.) in Catilina, 26: Compertum ego habeo, milites, uerba uirtutem non addere, neq. ex ignauo strenuum, neq. fortem ex timido, exercitum oratione imperatoris fieri. Et Xenophon, lib. 3. Κύρε παιδείας: Οὐδεμία γὰρ οὕτως ἔσαι καλὴ παραίνεσις, ἥτις τοὺς μὴ ὄντας ἀγαθοὺς, αὖ ἡμέρου ἀκούσαντας, ἀγαθοὺς ποιήσει.

70. b. A. MANLIVM) *Manilium*, Plinius *nominat* lib. XXXIII. cap. I

71. b.

71.b. NEQ. belli patrandi cognouit. *Sic* Priſcianus legit; *ſubaudiens, Cauſſam: ſic &* antiquus Fuluij liber. *Quo modo &* Liuius lib.v. *&* Hirtius de bello Alexandrino *locuti ſunt. quod ab alijs quoq. animaduerſum eſt. His uerbis haec eſt ſubiecta ſententia: Neq. ad bellum patrandum pertinere cognouit.*

73.b. MORE humanae cupidinis, ignara uiſundi.) *pro, uiſundi ea, quae ignorantur.* *Sic* Gellius, lib.ix.cap. xii.& Nonius, in uerbo, Ignarus, recitant. *Quo modo* Virgilius locutus lib. x. Ignarum Laurens habet ora Minanta. Et Tacitus lib.2. Per occulta, & uigilib. ignara. Et lib.3. Non ſibi quidem ignara, quae uulgabantur. Et lib.xii. Nihil tam ignarū barbaris, quam machinamenta, & aſtus oppugnationum. Et idem Salluſtius, 54.2. Regio, hoſtib. ignara. *Gnarus item, pro Cognitus,* apud eundem Tacitum: Idq. nulli magis gnarum, quā Neroni. Et, Campos madentes, & ipſis gnaros.

75.2. SVLLA gentis patriciae nobilis fuit, familia prope iam exſtincta.) Seruius lib. Aen. vii. Sulla patriciae gentis fuit, familia iam exſtincta &c.

75.2. DE uxore potuit honeſtius conſuli.) Valeriā enim, in theatro laſciue nimis blandientem, ſenex ipſe, uxorem duxit. Plutarchus.

75.b. VIX decima parte die reliqua.) antea in uulgatis, *Diei, legebatur, quemadmodum eſt* in Fuluij libro. *Die, emendaui*, ex Priſciano lib. iix. *&* Gellio lib. ix. cap. xiv. cuius haec ſunt: Ego in Iugurtha Salluſtij, ſummae fidei, & reuerendae uetuſtatis, libro, Die, caſu patrio, ſcriptum inueni. uerba haec ita erant: Vix decima parte die reliqua. non enim puto argutiolam iſtam recipiendam: ut, Die, dictum, quaſi, Ex die, exiſtimemus. Supra quoque, 54.2. Et iam die ueſper aderat, pro, Diei. *non enim aſſentior* Fuluij libro, *in quo, Diei, ſcriptum eſt: tamen littera, quaſi erraſſet librarius in ſcribendo, ſuperſcripta.* Et 74.2. Quae dubia niſu uide-

bantur. Sic enim habent quidam ueteres libri. Et 80. a. Vbi castra locata, & die uesper erat. *Quo item in loco, Diei, habet* Fuluij liber. *Acie quoque, pro Aciei, dixit* idem Sallustius. historiarum libro primo: quod patet ex Prisciano, Seruio, & Probo. Et Horatius Od. 7. lib. 3. Constantis iuuenem fide, pro, fidei. Et Sat. 3. lib. 1. Commissa fide. Item Virg. Georg. 1. Libra die, somniq. pares ubi fecerit horas. Et Aen. lib. 1. Munera, laetitiamq. die. Fide quoque, pro Fidei, dixisse Plautum in Aululatia, testatur Carisius, Instit. gramm. lib. 1. Plancus item, ad Ciceronem: Quo obside, fide, illius, & societatis in rep. administranda uterer.

76. a. PARS equos adscendere.) *Fronto, Escendere, legit, in quo suspicarer mendum ineße, nisi ab eo litterarum ordinem seruatum uiderem. haec enim recitat in uerbo, Escendo.*

76. a. OBTRVNCARE multos.) *sublato uerbo, Alios, quod* in uulgatis libris *erat, in quib. legebatur, Alios obtruncare, multos contra &c. mutata etiam distinctione, locum, ut opinor, illustraui. quam correctionem* eidem Fuluij libro *deberi, fatendum est.*

76. b. DEIN custos pleno gradu in collem subducit.) Apud Nonium, *Cunctos, legitur, haec recitantem* in uerbo, Subduco. *De pleno autem militum gradu, uidendus* Vegetius, lib. 1. cap. ix. & ep. Trebonij 16. lib. xii.

76. b. TVBICINES simul omnes signa canere.) *pro, Signa, erat* in uulgatis libris, *Tuba. est autem absurdum, si dicas, Tubicines tuba canere. nam, si Tubicines sunt, quis dubitet, quin Tuba canant? itaq. reposui, quod scriptum uidi* in antiquissimo Fuluij libro. *Tubicines autem signa canunt, cum tubarum clangorem spiritu excitant.* Paullo ante dixit, Ne signa quidem canere iubet. Et, in Catilina, 27. b. Signa canere iubet. *utroq. enim modo dici potest, Signa canunt; ut, Signa, sit nominandi casus: &, Tubicines signa canunt; ut sit accusandi casus. Tubae uero signa uocantur, quia mili-*

tib.

rib. signum dant, quid eis agendum sit. nam, si referre, aut inferre, pedem oportet; si consistere, aut locum, ordinem ue, mutare: uarie signa canunt.

78.b. IAM a prīcipio inopi.) *Inopi, non legitur* in quibus dā antiquis libris. *& sane abesse potest, incolumi sententia.*

79.a. COPIA facta mittendi.) *uerbum, Mittendi, sustulimus, tamquam glōsema; opinionem nostram confirmante* Fuluii libro.

79.b. NAM etiam tum largitio multis ignota erat: munificus nemo putabatur, nisi pariter uolens.) Haec, ex Pacuuii Duloreste, a Nonio recitari uideo, in uerbo, Munes: *ut fortasse uel a* Pacuuio Sallustius *hoc sumpserit; uel aliquid* in Nonio *desideretur. in quoetiam pro, Nam etiam tum, Animum quae tum, mendose legitur.*

80. a FVNDITORVM, Balearіorum.) *rectius* in aliis libris, Funditorumq. Balearium. eos enim nominat Caesar de Bello Gall. l. 2. & Plinius l. 3. c. 5. ait, *Baleares insulas funda fuisset bellicosas. Funda autem ibi*, ut ait Seruius, *reperta est.*

80.b. AB inermis pedibus.) *antea, Inermibus. Ego, Inermis, reposui,* ex Nonio, haec recitante in Cōmentariolo de mutata declinatione. Facile autē est cōiicere, homines īperitos, antiquae uocis insolētia offensos, suppositisse aliā, quae ad illius similitudinē proxime accederet.

81.b. SED ego cōperior, Bocchū non magis Punica fide, quā ob ea, quae praedicabat, &c.) *sic emendaui, ex* Fuluii libro, *et* Prisciano lib. 8. *Quo modo* supra locutus, 50: Metellū, magnū, & sapientē uirum, fuisse cōperior. Et Tacitus, IV. Hunc ego Lepidū tēporib. illis grauem, & sapientē uirū fuisse cōperior. Sed & Gellius, lib. 3. cap. 2. Verū, inquit, esse cōperior, quod quosdā, bene litteratos hoīes, dicere audiui. Vide Diom. l. 1. c. 4. de differ.

83. a. VVLTV, colore, ac motu corporis, pariter atq. animo uarius.) Fuluii liber: *Vultu corporis pariter atq. animo uarius.* Seruius, Aen. VII:

Vultu, & oculis, pariterq. animo uarius. Alij: *Vultu pariter corporis, atq. animo uarius.*

83.a. QVAE scilicet, tacente ipso, occulta oris immutatione, patefeciſſe.) Fuluij liber: *Quae ſcilicet, tacente ipſo, occulta pectoris ſpecie oris patefeciſſent.* Alij: *Quae ſcilicet, ipſo tacente, occulta pectoris oris immutatione patefeciſſe.* Vale: *Quae ſcilicet, tacente ipſo, occulta oris immutatio patefecit.* Vel: *Quae ſcilicet, tacente ipſo, occulta cordis, ſpecie oris, patefeciſſent.*

83.a. ADVERSVM Gallos.) *immo, Cimbros.* Liu. lib. 7. *Vel, Cimbros, & Teutones.* Val. l. 4. c. 7. & Vell. l. 2.

83.a. EA tempeſtate ſpes, atq. opes, ciuitatis in illo ſitae.) Antonij Caſarij, Caeſenatis, & Pauli Hyantaphij, Sabini libri duo ſcripti, *Ex ea tempeſtate*, habent. Praeterea, *Sitae erant, non, Sitae. aly iũdicent. impreſſa lectio mihi quidem ſatis lepida uidetur. Quo modo locutus &* Sulpicius Seuerus, Sacrae hiſtoriae lib. 1. de Ioſepho: Ea tẽpeſtate ſpes, atq. ſalus, Aegypti in illo ſitae erant.

IN ORATIONEM LEPIDI

85.a. RELEGATI in paludes.) *haec* Fronto ex primo hiſtoriarum in, Relegat in illum locum: *in quo, pro, Relegati, Relegat, mendoſe legitur.*

85. a. RES ſecundae 'mire! ſunt uitijs obtentui.) Seneca Controuerſiarum lib. v. contr. 25. Cum ſit praecipua in Thucydide uirtus breuitatis, hac eum Salluſtius uicit, & in ſuis illum caſtris cecidit. nam in ſententia Graeca, tam breui, habes, quae ſaluo ſenſu detrahas: deme uel .... uel ... deme; conſtabit ſenſus, etiam ſi non aeq. comptus, aeq. tamen integer. at ex Salluſtii ſententia nihil demi, ſine detrimentis ſenſus, poteſt. Titus autem Liuius tam iniquus Salluſtio fuit, ut hanc ipſam ſententiam & tamquam tranſlatam, &

tamquam

tamquam corruptam, obijceret Salluſtio. nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum praeferat: laudat, quem non timet; & facilius putat, poſſe a ſe Salluſtium uinci, ſi ante a Thucydide uincatur. *Haec* Seneca: *ex cuius uerbis admonemur*, Thucydidis locum *nobis quaerendum eſſe, quem* Salluſtius *imitatus eſt*. *Eadem* apud Demoſthenem *ſententia, qui &* ipſe Thucydidem *aſſidue in manib. habebat*, Olynth. 2. Αλλ', ὦ ἄνδρες, νῦν μὲν ὀπτικοτεῖ τούτοις τὸ κατορθοῦν. αἱ γὰρ ἀπραξίαι δεινὰι συγκρύψαι, καὶ συγκλείσαι τὰ τοιαῦτα ἐνείδη. εἰ δ' ὅτε πάσεις, τότε ἀκριβῶς αὐτοῦ πάντ' ἐξεταθήσεται.

IN . ORATIONEM PHILIPPI

38.a. TORPEDO animos oppreſſit.) Priſcianus, hunc locum ex 1. hiſt. recitans, *cum lectione impreſſa facit*. Apud Nonium *uero*, in uerbo, Torpedo, *pro Opreſſit, Obrepſit, ſcriptum eſt*.

38. a. CVIVS in Vrbem re litu decus, atq. ordines omnes interierunt.) Fuluij liber: *Cuius in Vrbem redditu decus ordinis huius interijt*. *Quod probo*.

IN . ORATIONEM MACRI

90.b. L. CINCIVS.) Pedianus 3: & Dionyſius *Sicinium nominant*. *Quo modo &* in antiquo Fuluij libro *ſcriptum poſtea animaduerti*.

90.b. QVAM uos iniuriae pertaeſum eſt.) haec ex 3. hiſt. recitat Fronto, in uerbo, Taedet.

91. a. QVO tribunos plebei modo patricium magiſtratum.) *mendoſus locus*. *Quod ſi legas, Quom tribunis plebei mandando patricium magiſtratum, mendum tolletur, & ſententia pateſiet*. Fuluij liber; *Quos trib. &c.*

91.a. NEQ. ego uos ultum iniurias hortor.) *et haec recitat* Fronto, ex eodem hist. libro, sin Hortor; *omissa uerbo*, Ego.

91.b. MVNIA uestra pensantur, &c.) *totus hic locus ualde perturbatus. neq. tamen ex* antiquo libro, *qui ualde a* uulgatis omnib. *dissentit, elicere quidquam potui, quod sententiam illustraret. Fortasse in hoc felicior erit aliorum industria. Ego, ut* in antiquo libro *scriptum uidi, ita te statum relinquam. Est autem in eo sic: In unia uestra pensantur: qua tamen quin is modis libertatem omnium aestimare uere, qui profecto non amplius possunt alimētis carceris. neq. utilis exiguitate mors prohibetur. senescunt uires, sic ut neq. absolui cura familiari tam parua res. & ignaui quisq. tenuissimas perfrustratur: quae tamen, quamuis ampla, quoniam seruitij pretium ostentaretur. &c.*

92. a. NEQ. enim ignorantia claudit res.) *haec recitat* Donatus in Ter. Eun. act. 1. sc. 2.

IN EPISTOLAM POMPEII

92. b. VTRVM censetis, me uicem aerarij praestare?) Diomedes lib. 1. cap. cap. IV. ex 3. hist. recitat, *Vtrum uicem me praestare creditis?*

IN EPISTOLAM MITHRIDATIS

94. b. INTER me, atq. Lucullum, proelijs, ino pia rursus ambos incessit.) *haec* ex 4. hist. Carisius libro 1. 118. recitat. in quo, *Prope, pro, Proelijs, mendose legitur*, in uulgatis libris.

94. b. MEIS militibus, procul ab domo, paruo labore, per nostra corpora, bellum conficere.) haec Carisius lib. 2. 217. ex 4. historiarum sic recitat: *Meis militi-*

militibus, belli prudentibus, procul ab domo, per noſtra corpora, bellum conficere.

AD . C . CAESAREM, DE . REP . ORDINANDA

99. a. RELIQVVM eſt, optare, uti, quae tibi placuerint, ea dij immortales approbent, beneq. euenire ſinant.) ſic in. 11. ad Caeſarem, de Rep. Ordin. 105: Quae mihi utiliſſima factum uiſa ſunt, quaeq. tibi uſui fore credidi, quampauciſſimis potui, perſcriſi. ceterum deos immortales obteſtor, ut, quocumq. modo ages, ea res tibi, reiq. pub. proſpere eueniat. Et Demoſthenes, Olynth. 1 Χρησὰ ἅπ παντὸς εἶνα. Et 3. Σχεδὸν εἴρηκα, ἃ νομίζω συμφέρειν. ὑμεῖς ἅ ἔλοισθε ὅ, τι καὶ τῇ πόλει, καὶ ἅπασιν ὑμῖν σωσίσιν μέλλει.

IN. PORCII. DECLAMATIONEM

114. a. QVI coitiones ullas clandeſtinas.) *ſic emendaui; cum antea* in peruulgatis libris, *Conciones, legeretur.*

N. ORATIONEM IN. SALLVSTIVM

127. b. NEQ. aliter uexauit, ac debuit.) *nihil muto. Vixit, tamen, pro Vexauit, magis placeret.*

128. a. NOMINIS perditi, ac notiſſimi.) *Quid, ſi legas, Homines perditi, ac notiſſimi?*

INDEX. RERVM ET. VERBORVM MEMORABILIVM

ABORIGINES cum Troianis Romam condidere. 3. a. genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum, atq. ſolutum. ibidem.
Adherbal, Micipſae filius. 31. b. 34. b. proelio uincitur a Iughurta. 33. b. 34. b. uictus Romam contendit. 34. a. eius uerba in ſenatu. 34. b. ubiuis tutior, quam in ſuo regno. 35. b. a Iugurtha uincitur. 39. a. eius ad Iugurtham legati, de iniurijs querentes. ibidem. Girtham profugit. 39. b. copias aduerſus Iugurtham parat. 40. a. eius litterae in ſenatu recitatae. 40. b. deditio. 41. b. interitus. ib idem.
Adoleſcentium animi molles, & aetate fluxi 6. a
Adrumetum, a Phoenicib. conditum, 38. b
Aduerſae res etiam bonos detrectant. 54. b
Aedes Concordiae. 17. b. 19. b
Aemilius Scaurus a Iugurthae largitione ſe continet. 37. a. eius mores. 37. a. 42. a. a Iugurthae legatis corrumpitur. 42. b
Aeneas. 3. a
Aes alienum, pro agento, aere ſolutum. 13. a
Aes grande conflare. 5. b. 10. a
Aethiopes. 30. b. 38. b
Afri. 38. a.
Africa. 30. b. 42. b. 61. a. 72. a eius ſitus, & deſcriptio. 30. b. 37. b. eam qui primo incoluerint. ibidem. a Getulis, & Libybus, poſſeſſa. 38. a eius pars, prouincia P. R. 38. b. 40. b. 41. a. eius pars inferior, a Numidis poſſeſſa. 38. b. extrema. 65. a.
Albini, aut Beſtiae, patres. 68. b

Albinus

Albinus consul ad bellum proficiscitur. 47. a. eius castra, a Iugurtha circumuenta. 47. b. eius exercitus, qualis. 50. b
Alcibiades reuocatur. 114. b
Aliena largiri, liberalitas. 23. a.
Allobroges, ad coniurandum ab Vmbreno sollicitari. 15. b. a coniuratis iusiurandum postulant. 17. a. ijsdem, ob coniurationem detectam, praemia decernuntur. 19. b
Ambitio. 59. b. uitium uirtuti propius, quam auaritia. 4. b. corrumpit animos. ibidem. praua bonorum famam laedit. 79. b
Amici. 78. b. officio, fideq. pariuntur. 32. b
Amicitia firma, idem uelle, idem nolle 8. a. non idem, quod Factio. 44. a. in diuersis mentib. esse non potest. 49. a
Animus diuinus. 1. a. eius, atq. corporis, bona, & munera. ibidem. insolens malarum artium. 2. a. in consulendo liber, neq. delicto, neq. libidini obnoxius. 23. b. uitae mortalium dux, atq. imperator. 29. a. cupidine caecus, ad inceptum scelus rapitur. 41. a. ignauia, atq. socordia, corruptus. 43. b. cupienti nihil satis festinatur. 60. a. ferox, praua uia ingressus, ubi consueta non suppetunt, quae efficiat. 97. b. in aduersis rebus, quam in secundis, maior. 99. b
Annius Caius, Leptitanorum praefectus. 65. a.
Annius Lucius, & L. Lucilius tribuni pl. magistratum continuare nituntur. 47. a
Annius Quinctus, coniuratus. 7. a
Antiochus. 83. b. 94. a. decem millib. talentorum a Philippo spoliatus. 93. b
Antonius, consul. 10. a. b. Catilinam cum exercitu persequatur. 14. a. orator excellens. 107. a
App. Claudij, & L. Pisonis, censorium elogium. 127. b
Appij dictum, Fortunae suae quisq. faber. 95. a

App. Claudius, interrex. 88.a
Apulia. xi. a. 17.b
Aquila, Catilinae uexillum. 28.b. 113.b
Archelaus, poſtremus ſeruorum, Mithridatis incepta impediuit. 94.a
Ariobarzanes. 94.b
Ariſtonicus, Antiochi filius, triumpho ductus. 94.a
Armenia. 94.b
Armeniorum origo. 38.a
Arpinum. 59.a
Aſia. 1. a. 89. a. 95. b. a Romanis obſeſſa, ſpolium regis Antiochi. 94.a
Aſpar, Numida. 81. a. Iugurthae legatus. 82. b
Athenae ſuam celebritatem ſcriptorib. debent. 4.b urbs doctiſſima, atq. eruditiſſima. 114.a
Athenienſes. 28. a. cor. facta pro maximis celebrantur. 4.a Triginta tyranni. 21. b
Auaritia. 66. a. 70, a 89. b. pecuniae ſtudium habet. 4. b. 42. b. 49. b. 50. a. corpus, animumq. uirilem, effeminat. 4. b. Romanorum. 52. b. falſa. 79. a. profunda 66. b. bellua fera, immanis, intoleranda. 103. a
Auentinus, mons 113. b. bis a plebe occupatus, in ſeceſſione. 44. a & in fragmentis lib. 1.
Aueto, pro, Valeto. 14. a
Aurelia Oreſtilla, Catilinae coniux. 6. a
Autronius Publius, coniuratus. 7. a. conſul deſignatus. ibidem. ambitus condemnatus. ibidem.

B

BAEBIVS Caius, a Iugurtha corrumpitur. 46. a
Bellienus Lucius, praetor. 79. b
Belli dolus. 1. b. ſaeuitia. 20. b
Bellorum cauſſa, dominandi libido. 1. b
Bellum pace mutare, uictoris in manu eſt. 27. a. facile ſumitur, ceter. aegerrime deſinit. 67. a. alior. pace mollius. 95. b
Bellum Carthaginienſe. 34. b. Cimbricum. 27. b. ciuile.

le. 6. a. 30. b. Gallicum. 83. a. Iugurthinum. 65. a. 77. a. Macedonicum, & Punicum. 20. a. 93. b. & in fragm. lib. inc. Maritimum, atq. Mithridaticum. 15. a. Mithridaticum periculosissimum. 108. b. Numantinum 31. b. 32. a. Punicum 30. b. 49. b. 93. b. Romanos in officio retinuit. 49. b. seruile Capuae, & in Apulia. 11. b

Beneficij, quam maleficij, immemorem esse, multo praestat. 45. a

Bestia Lucius coniuratus. 7. a

Bestia Lucius Numidiam prouinciam consul sortitur. 42. a. auaritia corrumpitur. 42. b. eius de deditione consilium cum Iugurtha. ibidem. exercitum in Africum parat. 43. a. consul. 65. a

Bestiae, & Albini, patres. 68. b

Bithynia direpta. 94. a

Bocchus, Maurorum rex. 38. b 63. b. eius uxor, Iugurthae filia. 65. b. eius cum Iugurtha necessitudo. 66. a. eum Iugurtha aduersus Romanos incitat. 66. a. b. a bello desistere legati Marij hortantur. 67. a. Bocchi F. Volux. 77. b. cum Iugurtha coniungit exercitum. 75. b. apud Numantiam Latinam linguam didicit. 77. b. Sullae respondet. 78. b. eius purgatio ad Romanorum expostulationem. ibidem. eius legati a Iugurtha corrumpuntur. 79. a. a Getulis spoliati, pauidi, sine decore, ad Sullam profugiunt. ibidem. saepe a Mario Romanor. amicitiam petijt. 80. a. ei Romanor. amicitia datur. ibidem. eius Punica fides. 81. b. cum Sulla per interpretem agit. ibidem. Iugurthae insidias tendit. 83. a. Romanis Iugurtham tradit. ibidem.

Bomilcar Massiuae insidias tendit, eumq. obtruncandum curat. 46. b. reus ex aequo, & bono. ibidem. reum Iugurtha in Numidiam mittit. ibidem. uadibus datis, iudicium fugit. 58. a. ei Metellus persuadet, ut sibi Iugurtham tradat. 58. b. a. Metello corrum-

corrumpitur. ibidem. eius impulsu Iugurtha deditionem incipit. 62. a. eius epistola ad Nabdalsam. 62.b. eius in Iugurtham insidiae detectae. ibidem. a Iugurtha necatur. ibidem.
Bona aliena largiri, liberalitas. 23.a
Brutus. 96.b. D. Semproniae maritus. 16. a. eius domus, coniurationis haud inscia. ibidem.

C

CABIRA. 94.b
Caesar Statilium custodit. 18.a. pontifex max. creatus, Catulo deiecto. 19.a. ei Catulus, & Piso, infensi. ibidem. eum Cicero inter coniuratos nominare noluit. ibidem. eius sententia, de coniuratis. 20. a. 22. a eius natura, & mores. 25. a. eius, & Catonis, comparatio. ibidem. eius bellum aliorum pace mollius. 95. b. eius victoria ciuilis. 96. b. laus. 99.b
C. Annius, Leptitanorum praefectus. 65.b
C. Baebius a Iugurtha corrumpitur. 46.a
C. Cornelius, eques R. coniuratus. 7. a. pollicetur, se Ciceronem confodere. 11.a
C. Cotta uouit se patriae. 89. a. eius consulatus. ibidem.
C. Flaminius. 14.a
C. Gracchi caedes. 43.b. 49.b. 111.b
C. Iulius in Apuliam a Catilina mittitur. 11.a
C. Manlius. 83.a
C. Marius Aquilam bello Cimbrico habuit. 27.b
C. Memmius tribunus pl. designatur. 42.a eius facundia. 42. a. 43. a. oratio ad populum. ibidem. rogatio. 45. b. Iugurtham praesentem ad populum accusat. 46.a
C. Murena in citeriore Gallia plures coniuratos in uincula coniecit. 16.b
Callicratides classem amisit. 111. b
Calpurnius consul acriter Numidiam inuadit. 42. b a Iugurtha corrumpitur. ibidem.

Capi-

Capitolinus Iuppiter, sempiternus custos, ac uindex, Romani imperij. 121.b
Capitolium. 7. b. incensum, uiginti annis ante coniurationem Catilinae. 18. a
Capsa, opidum Numidiae magnum, atq. ualidum, ab Hercule conditum. 71. b. eius, & Thalae, situs, & collatio. 72. a. capitur a Mario. 73. a. ab eodem expugnatur, atq. incenditur. ibidem, & 75. b
Capua, municipium. 12. a
Carbo. 96. b
Carthago, aemula imperij Romani, ab stirpe interijt 4. b. eius laus. 38. b. deleta, discordiam Romae peperit. 49. a. pleraeq. Africae imperitabat. 65. b
Carthaginienses. 65. b. 93. a. uicti. 30. b
Cassius Longinus, coniuratus. 7. a, 17. a
Cassius Lucius, praetor, ad Iugurtham mittitur. 45. a. b
Catabathmos. 37. b. 38. b
Catilina reip. insidiatur. 2. b. eius mores, & ingenium. ibidem, & 109. a. 119. b. eius socij. 5. b. 6. a. nobilem uirginem, Vestae sacerdotem, stuprauit. 6. a. eius uxor Aurelia Orestilla. ibidem. filium necauit. ibid. eius conscientiam uultus arguit. 6. b. repetundar. reus, prohibitus petere consulatum. 7. a. eius oratio, ad conscios coniurationis. 8. a Ciceroni insidias machinatur. 10. b. consulatum petit. ibidem. lege Plautia interrogatus ab L. Paullo: 12. a. eius responsio, ad Ciceronis inuectiuam. 12. b. paratus, ad dissimulanda omnia. ibid. patricius. 2. b. 12. b. in Manliana castra noctu proficiscitur. 12. b. eius litterae, ad Q. Catulum. 13. b. ad consulares. 14. a. hostis a senatu iudicatur. ibidem. eius exercitus. 25. b. fugam in Galliam parat. 26. a. seruitia repudiat. ibidem. duob. exercitib. clauditur. ibidem. eius uerba, ad milites. 26. b. eius interitus. 28. a. fortiter pugnans, occiditur. 29. a. eius domus, sacrarium scelerum. 109. a. b. scelera. ibidem in consulatu

cõsulatu repulsa. 109. a. nocturnus imperator. 111. a. eius ambitio simultas. 115. a. facetus. 119. a. a Caepionis amicitia defenditur. 119. b
Cato. 100. b. eius de coniuratis oratio. 22. b. eiusdem sententia. 24. b. natura, ac mores. 25. a. esse, quam uideri, bonus malebat. ibidem. eius dicendi uoluptas. 106. a. Scipionis coaetaneus. 107. a
Catulus a Catilina litteras accipit. 14. a eius, & Caesaris, inimicitiae. 19. a. Sulla longe saeuior. 90. b
Ceparius Terracinensis, coniuratus. 17. b. 24. a
Cethegus, coniuratus. 7. a. captus, familiae, atq. libertorum, implorat opem 19. b. audax. 21. b. eius uita. 113. a. ipse, & Lentulus, coniurationis capita. ibidem. terribilia portenta ciuitatis. 117. b
Chalcedona. 94. b
Cicero, consul. 10. a homo nouus. ibidem. insidijs petitur. 10. b. 11. b. inquilinus ciuis urbis Romae. 12. b. urbis praesidio esse iussus. 14. a. optimus consul 16. b. Allobroges instituit, ut iusiurandum obsignatum ad ciues perferendum exigant. 17. a. senatum in aedem Concordiae conuocat. 17. b. de captis in Ponte Miluio dubius. ibidem. de coniuratis in senatu refert. 11. b. 19. b. eius domus P. Crassi antea fuerat. 122. b
Cilicia. 89. a
Cimbricum bellum. 27. b. eius praeda. 84. b
Cincius, siue Sicinius Lucius, de tribunicia potestate loqui ausus. 90. b
Cinnae in Vrbem reditu, omnes interierunt ordines. 88. a. 98. a
Cirtha, 77. b. 78. a. oppugnatur a Iugurtha. 39. a. b. 40. a. 66. b. Iugurthae tradita. 41. b
Ciuem Romanum uerberibus caedi, nefas. 21. a
Ciuilis belli causa. 30. b
Ciuis nomen quis mereatur. 112. a
Cn. Piso, factiosus. 7. b. in Hispaniam citeriorem missus.

sus.ibid.custos publicarum caerimoniarum. 117.b
Cohors Paeligna. 80.a
Comedere bis die, uitio datur. 98.b
Comitia. 10.a.11.a.47.a
